





Campe
N.A.

Not in R...
...–14

JOACHIMI HENRICI CAMPE

ROBINSON SECUNDUS.

15081

Tironum caufa latinitate donatus

a

PHILIPPO JULIO LIEBERKÜHNIO,

nunc denuo recenfitus et copiofiori indice inftructus

a

LUDEVICO FRIDERICO GEDIKE.

ZÜLLICHOVIAE

fumtibus haeredum N. S. Frommanni.

1789.

(Preis 14 Gr.)



PRAEFATIO

PRIORIS EDITIONIS.

Quo potissimum consilio hunc librum latine vertendum susceperim, satis a me tum expositum est, cum hoc meum institutum publice indicavi. Nunc superest, ut de ratione, quam in eo perficiendo, secutus sim, nonnulla addam, cum ad illam contra iniquorum judicia defendendam, tum ad rectum hujus libri usum accuratius describendum.

Ac primum quidem operam dedi, ut admirabilem illam Campiani Robinsonis perspicuitatem atque simplicitatem, quantum ejus fieri posset, vertendo exprimerem. Ex quo factum est, ut nonnullis

in locis ubertatem quandam in dicendo concinnae brevitati, nec tamen ſine idonea cauſa, praeferrem. — Verae elegantiae, quae profecto a ſimplicitate non abhorret, hactenus fui ſtudioſus, ut hunc libellum eum multis aliis nuper conſcriptis, qui tironibus legendi traduntur, conferre audeam; quamquam hoc mihi non arrogo, Robinſonis mei latinitatem ad veterum auctorum puritatem atque elegantiam accedere. Neque vero hoc quenquam, qui quidem idoneus et aequus ſit arbiter, in eo libro aut expectaturum, aut poſtulaturum puto, qui tot novis rebus, apud romanos plane inuſitatis, abundet. In quibus exprimendis linguae latinae rationes quam proxime quidem ſecutus ſum; ingenue tamen profiteor, nonnulla duriora talibus in locis apud me reperiri, quae vernaculae linguae indolem ſapiant.

In univerſo autem opere, *Gesneri*, viri immortalis, Theſauro Romanae linguae ita uſus ſum, ut ſemper ejus au-

ctori-

ctoritate meam dicendi rationem confirmarem. Neque hoc non meam operam, molestam sane illam atque taedii plenam, saepius levavit, quod inter eam quandam quasi familiaritatem cum praeclaro isto omnis humanitatis et antiquae eruditionis thesauro contraxi, magnaque cum jucunditate, et utilitate immensas latinae linguae copias, a Gesnero expositas, perlustravi. In quo saepe miratus sum, atque etiam indignatus, in Germania ipsa, quae illum praeceptorem humanitatis merito veneratur, nostra aetate reperiri, qui de laudibus bene meritis tanti viri detrahant, qui divinum illud Gesneri ingenium, immensa eruditione veraque humanitate excultum spernant, qui subtilitatem et elegantiam doctrinae in eo desiderent.

Tironibus vero hunc librum, etsi intellectu facillimum, non ante tradendum puto, quam v. c. *Gedikii*, viri celeberrimi mihique amicissimi, libellum egregium, aut alium ejusmodi librum ele-

 men-

mentarem, studiose perlegerint. Eo enim consilio hic meus est scriptus, ut tirones lectione tantum non cursoria in eo celerius procederent, neque nimis etiam Grammaticis rationibus impedirentur. Quod si vero ita instructi ad Robinsonem accesserint, fieri non potest, quin magna cum voluptate in eo legendo versaturi sint. Tanta enim est hujus libri praestantia, tanta ad animos puerorum alliciendos atque tenendos vis, tanta in eo rerum utilissimarum atque jucundissimarum copia, ut ex immensa ista librorum pueris scriptorum farragine, quae Germaniam hodie inundat, quem illi anteponam, nullum, quos vero comparem, paucos inveniam. Quamobrem spero etiam, atque confido, hunc librum vere aureum insita sua, cum ad ingenia puerorum acuenda et nutrienda, tum ad animos eorum ad honestatem pietatemque formandos, praestantia tantam utilitatem tironibus esse praestiturum, ut si quid forte a vera latinae linguae elegantia alienum in versionem meam irrepserit

rit

rit, quod ad illos quoque redundet, ejus utilitatis magnitudine hoc damnum satis compensatum videri possit. Quod si quis vero mihi objiciat, illud utilitatis genus a lectione Robinsonis vernaculi potius expectari debere, hoc equidem facile concedam. Neque tamen nihil ad istam augendam conferre debet, egregium hunc librum latinis verbis expressum iterum studiose legisse; neque illum unquam satis pueris commendari posse puto, cum illi novitatis studio ducti a praestantissimis libris vernacula lingua scriptis ad alios, minus forte egregios, sed novos, properare soleant. Si igitur hoc Robinsoni latinitate donato contigerit, ut inter libros scholasticos referatur; tum certe majorem, atque diuturniorem utilitatem ex ejus lectione redundaturam esse existimo. —

Indicem latinitatis conficiendum tradidi *Gedikio* meo, Friderici fratri, Professori Elisabethaneo, quoniam equidem variis negotiis impeditus fui, quo minus meam ipsius operam in eo collocarem.

 Neque

PRAEFATIO

Neque hunc laborem defugit vir humanissimus mihique conjunctissimus, cui plura majoraque debeo, cum in vita publica, tum in privata, quam hoc loco exponere mihi licet. Qui quidem in eo negotio ita versatus est, ut nihil fere in indice notaret, atque explicaret, nisi quae a vernaculae linguae rationibus aliena sunt, aut in quibus tirones, quanquam Lexico adhibito, haerere solent, cum propter varietatem significationis, tum propter peculiarem latinae linguae indolem. Neque etiam plura a nobis promissa sunt, neque ab indice *latinitatis*, non verborum, plura expectari possunt. Etenim si omnes ac singulas voces, aut etiam rariores, quae in hoc libro occurrunt, notare voluissemus, in nimiam molem, neque illam necessariam ac utilem, ille excrevisset. Nihilo minus tamen spero, tirones libelli Gedikiani copiis praeparatos, atque Lexico idoneo instructos, multo cum fructu hunc indicem adhibituros esse.

Si

PRIORIS EDITIONIS.

Si vero ſint, qui univerſam hanc meam Robinſonis latine vertendi rationem vituperent, aut nimis ſevere illam judicent, eos rogo, ut unam alteramve ejus libri plagulam vertere inſtituant. Denique fateor, iſtam operam noſtram in illud vitae meae tempus incidiſſe, quo infinitis negotiis curisque meis ita diſtrictum tenuit, ut in ea perficienda mihi ipſe ſatisfacere raro potuerim. Neque tamen pluribus de cauſis illam diutius differre licuit. Dabam Vratislaviae die XXV. Febr. cIↃIↃCCLXXXV.

Ph. J. Lieberkühn.
Inſpector ſcholarum Vratislavienſium
Rector et Profeſſor Gymnaſii
Eliſabethani.

PRAEFATIO
Novae Editionis.

Cum post obitum Lieberkühnii mei, qui fato praematuro et acerbo hoc anno succumbens, ut omnibus, qui rei litterariae, praesertim paedagogicae bene cupiunt, ita ex multis amicis mihi maxime flebilis occidit, hujus libelli denuo recensendi atque ad usum destinatum emendandi laborem, quem proprio Marte absolvere statuerat vir, quamvis morbi vi misere depressus, diligentia tamen et insigni assiduitate nunquam deficiens, mihi demandatum suscepissem qua ratione optime haec altera editio vere emendatior atque ad tironum usum accommodatior in lucem prodire posset, diu multumque mecum reputavi. Atque me quidem, primum multa in Robinsone latino, non dico, corrigere, quod forsan arrogantis foret, sed mutare conantem, atque novam magna ex parte, vernaculi sermonis legibus minus obstrictam versionem elabo-

elaboratarum consilio jam incepto deterruit cogitatio ista, fieri posse, ut nova forma indutus Robinson iis tironibus, in quorum manibus prius editus huc usque versatus fuerat, quorum quidem haud exiguum numerum esse scio, tanquam peregrinus appareret, ut superbiens usurpator, illum antiquiorem, in plurimis scholis jam diu civitate donatum, nunc tanquam inutilem ejecturus. Itaque aliqua tantum correctoria opera in Robinsone Lieberkühniano adhibita, haud adeo multis in locis, quae aut in singulis verbis, aut in ordine orationis partium disponendo, aut in toto sermonis habitu praecipue vernaculae linguae genium redolere videbantur, interdum quoque non tam interpretis quodam errore et incuria, quam operarum nimis festinato labore typographico, spuria et a Romano idiomate abhorrentia in textum irrepserant, resecui atque cum aliis commutavi, sic et Robinsoni ipsi, et studiosae juventuti optime consuli ratus.

Vocabularium autem, priori editioni additum, angustioribus limitibus circumscri-

 ptum

ptum ad usum libelli non sufficere cum multi rei periti judicassent, ut nunc copiosius et largiori penu instructum discentibus tradi posset, neque Lexici cujusquam subsidio destitutis pueris, totius dulcissimi operis legendi copia deesset, curavi, easdem ceterum rationes secutus, quas in prolixiori praefatione expositas video. Quod reliquum est, ut hic Campianus libellus, inter multos similes facile princeps, in posterum, ut hucusque, ad mentem puerilem sapientiae praeceptis imbuendam animumque virtutis studio emendandum majori in dies utilitate adhibeatur, nec non ejus lectione primi gressus tironum ad adyta latinae musae, plerumque aspera dumeta spinasque non sine horrore quodam perrepentes, expeditiores et non omnis gaudii expertes fiant, enixissime opto, atque si qualiscunque mea opella ad hunc finem assequendum aliquantulum profuerit, operae pretium quodammodo fecisse jure meo mihi videbor. Dabam Vratislaviae, ipsis Idibus Octobris, MDCCLXXXIIX.

L. F. Gedike,

Professor Gymnasii Elisabethani.



ROBINSON SECUNDUS.

Fuit quondam familia satis numerosa parvulorum, et adultorum hominum. Coniuncti erant partim naturae vinculis, partim mutua caritate. Pater, et materfamilias universos amabant, velut proprios liberos, quanquam sola Carolina, omnium natu minima, eorum filia gennina erat. Eodem animo praediti erant R... et B... amici eorum. Vivebant autem in horto, prope portas Hamburgi.

Hujus familiae symbolum erat: *Ora, et labora!* neque quisquam in ea aliam felicitatem cupiebat, nisi quam vita ex hoc praecepto instituta praestaret. Sed inter labores, et perfecto opere omnes optabant audire, quod ipsos sapientiores, et meliores redderet. Tum pater iis de variis

 rebus,

rebus, et hominibus narrare ſolebat, liberi au
lubenter, et attente eum audiebant.

Illarum narrationum veſpertinarum una e
quae ſequitur, Hiſtoria Robinſonis Secundi, qu
pater, cum putaret fore plures pueros, qui
legere cuperent, litteris mandavit, atque ty
exarandam curavit.

Sed exponendum mihi ſupereſt, quidnam ha
narrationem praeceſſerit! — „Nonne, pater, a
nuo nobis aliquid narrabis?„ Theophilus ro
ſereno quodam veſpere aeſtivo. — „ Lube
equidem„ reſpondet pater, an vero veſpera t
iucunda non niſi per feneſtras fruamur? Agi
recumbamus in gramine iſto!

Euge! euge! omnes conclamant, et ſic ex
ſultantes domum relinquunt.

VESPERA PRIMA.

Theoph. Hicne pater?

Pat. Euge! Sub hac ipsa malo!

Nicol. Egregie! — *Omn.* Egregie! Egregie! (*exultant, et manibus plaudunt.*)

Pat. Quid autem faciendum putatis, dum vobis aliquid narro? Non enim credo, vos hic plane otiosos assidere velle!

Ioh. Hem! si modo aliquid negotii haberemus!

Mat. En pisa explodenda! en fabas Turcicas destringendas! cuinam lubet?

Omn. Mihi! mihi! mihi!

Theoph. Ego, et Carolina mea, et tu Friderice — nos pisa explodamus! nonne?

Carol. Minime equidem, pace tua, Theophile! Absolvenda est mihi antea catenula mea, quam Mater me docuit.

Theoph. Euge! nos ambo itaque! Cedo, Friderice, asside hic.

Amic. R... Ego socius vestri laboris ero (*iungit se iis in gramine.*)

Amic. B... Et ego vestri! o reliqui! Placeone vobis?

Dieter. Vehementer places! Hic satis amplum spatium tibi superest! Praeclare! Iam videamus, quisnam stringendo vincat!

Pat. Ita confidatis, velim, ut solem occidentem spectare possitis! Iucundissimum hodie nobis praebebit spectaculum! (*Omnes recumbunt, et opus*

inchoant) — Agite! o mei liberi, historiam fam mirabilem hodie vobis narrabo! Iam arrectis cri nibus, jam summa cum voluptate me audietis!

Theoph. Hem, sed noli nimis tristia narrar

Carol. Bene mones Theophile! Audivisti pater? Alioquin enim plorabimus inviti.

Iohan. Hui! Tacete! Pater optime judicabit!

Pat. Nolite hoc timere, o mei! Equidem faciam ne nimia tristitia afficiamini!

Fuit olim Hamburgi vir quidam, cujus nom erat Robinson! Habuit tres filios, ex quibus na maximus, qui militiae nomen dederat, in proelio quodam cum Francogallis commisso cecidit.

Alter, qui litteris operam dabat, cum forte in prudentius aquam frigidam bibendo vehemen incaluisset, tabe correptus diem supremum obiit.

Iam parentibus praeter minimum natu, qu nescio qua de causa, Crusoe appellabatur, nullu supererat. Sed in eo omnem spem suam amb collocaverant, quippe qui iis unicus esset. Cario rem eum ipsis oculis suis habebant: sed amor eo rum stultus erat.

Theoph. Quid hoc significat, pater?

Pat. Statim intelliges! Nos, uti scitis, vo quoque amamus; sed eam ipsam ob causam labo ribus vos assvefacimus; multaque tam jucunda quam utilia scitu vos docemus; scimus enim haec unice vos bonos, beatosque reddituura! Se Crusoei parentes secus fecerunt; filiolo omnia in dulserunt, qui quidem cum ludere, quam discer mallet, dies integros lusit, atque parum aut nihi didicit. Hic est, Theophile, amor iste, quem nos stultum appellare solemus.

Theoph

THEOPH. Ehem! nunc intelligo!

PAT. Itaque parvulus Robinson neglectus adolevit! Pater optabat, ut mercaturae se addiceret; sed haec ei displicuit; se male, ait, orbem terrarum peragrare, ut quotidie nova audire, et videre posset. — Stultum sane consilium homuncionis! Quid enim in tanta omnium rerum ignorantia, Crusoeus noster peregrinando proficeret? Quicunque apud exteras gentes rem suam bene agere vult, eum oportet multarum rerum peritum esse! Sed hoc Robinsoni nondum in mentem venerat. Iam annum aetatis decimum septimum attigerat, plurimum vero temporis discurrendo consumserat. Quotidie autem patrem urgebat, ut ab eo peregrinandi veniam impetraret. Pater respondit, stultum esse hoc consilium, neque illi aurem praebuit. „O mi fili, mater tum exclamare, quaeso te! Maneas in patria et honestum victum quaeras. „Filius autem non obedivit; sed cum forte apud portum more suo discurreret, quemdam ex aequalibus conspexit, nautae filium, qui in eo erat, ut cum patre Londinum navigaret. Sodalis itaque eum interrogat: an socius itineris esse velit? Lubenter equidem, ait Crusoeus; vereor autem, ut parentes hoc mihi permittant! — Hui! respondet alter; audendum tibi est facinus; temere proficiscendum est! Post tres hebdomades reduces erimus; parentibus vero nuntiandum curabis, quonam terrarum concesseris! Careo autem pecunia, ait Crusoeus. — Nihil refert, alter excipit; ego tibi omnia in itinere suppeditabo!

Robinson noster re paululum deliberata, illico alteri dextra data exclamat: „Euge, commilito, vehor tecum; sed confestim navem conscendamus!" — Tum cuidam mandat, ut horis aliquot elapsis pa-

patrem conveniat, eique nunciet, filium in Anglia aliquantisper profectum, mox rediturum esse. Quibus peractis ambo sodales navem conscendunt.

IOH. Fi, impudentem hominem!

NICOL. Magnopere ab ejus moribus abhorreo.

AMIC. B... Recte judicas, Iohannes! Impudenter sane hoc fecit; sed miseret me stultitiae ejus! Ego vero gaudeo perpaucos liberos tanta stultitia esse, ut, quid debeant parentibus, nesciant.

NICOL. An vero nonnullos ejus similes invenisti?

AMIC. B... Neminem, quod sciam! Sed certissime scio, tales pueros nunquam non se ipsos infelices reddituros.

IOHAN. Sed videamus, quidnam Robinsoni acciderit?

PAT. Nautae anchoras solvunt, velaque tendunt; ventus navim agitare incipit, praefectus navis sex tormentis bellicis explosis urbi valedicit! Robinson cum sodali in stega erat, insaniens fere prae laetitia, quam ex itinere instanti capiebat. Coelum serenum erat, ventus adeo secundus, ut brevi Hamburgum oculis eorum se subduceret. Postridie Ricebuttelium littus legunt, ubi Albis in mare effluit. Tum Oceano se committunt! En vero Robinsonem nostrum admiratione perculsum, cum praeter aërem, et aquam nihil ante se conspiceret! Terra continens paullatim e conspectu ejus recedit. Iam praeter ingentem illam Pharum, quam Hamburgenses in insula sancta exstruxerunt, nihil conspici potest. Iam illa quoque evanescit. Robinson autem supra se nihil nisi coeli convexa, circa se nihil nisi aquam videt.

THEOPH. Admirandum sane spectaculum!

AMIC.

Amic. R... Quod tu brevi forsan videbis! —

Theoph. Hem, eone proficiscemur?

Amic. R... Siquidem attente nos Geographiam docentes audiveritis, ut intelligatis, quaenam via eligenda sit eo proficiscentibus. —

Pat. Quin, si laboribus perferendis, et temperantia victus corpora vestra ad tolerandas hujus itineris molestias in dies fortiora reddideritis; fieri quidem potest, ut vobiscum Travemundam ambulemus, ubi mare Balticum incipit.

Omn. Hui! Hui!

Pat. — ut ibi navem conscendamus, atque aliquot milliaria in altum tendamus.

Tum omnes exsiliunt, patris collum, et genua amplectuntur, laetitiamque suam exsultando, et plaudendo exprimunt.

Mat. Num vero me quoque vobiscum ducetis?

Car. Euge, si quidem tanto itineri pedes tui pares sint! — Sed longa est via — nonne pater? — longior forte, quam quae Wandsbekiam ducit, ubi Claudius optimus habitat cum altero, qui amplas aedes, et amplum hortum possidet. — Hem! quantus, quantus ille est! Multo sane major nostro horto; fui quondam ibi, meministine pater? Tum, cum in campis lapillos versicolores quaesivimus. —

Pat. Et rusticum arantem vidimus. —

Car. Euge! et officinam fabri ferrarii intravimus, viae vicinam. —

Pat. Atque molam alatam conscendimus —

Carol. Eja, ubi ventus mihi pileum abstulit;

Pat. Quem tibi molitoris puer reddidit.

Car. Frugi sane puer! ain' tu, pater?

PAT. Quam maxime: qui quidem nobis plane ignotis statim officium praestiterit!

CAR. Tu quoque ei dedisti pecuniolam!

PAT. Dedi equidem! Probis enim hominibus, qui aliis gratum facere amant, quilibet gratiam referre studet! — Sed obliti sumus Robinsonis nostri! Properemus itaque, ne e conspectu nostro plane se subducat. Velocissimus enim ejus cursus est!

Fuerat quidem proficiscentibus per duos dies continuos coelum serenum, ventus secundus. Tertio autem coelum nubibus tegitur, et sensim obscuratur; ventus plenis buccis flare incipit. Iam fulgura coruscant, totumque coelum flammis redundat; jam tenebrae densissimae ingruunt, neque tonitruum fragor cessat; imber torrenti similis de coelo ruit, mare procella horribili agitatum aestuat, fluctus in altitudinem tectorum extumescunt!

Eheu, horrendum visu! Navis alternis vicibus, sursum deorsumque agitatur! Iam ingenti fluctu in nubes tollitur, jam profundo mergitur! Nunc hoc, nunc illo latere subversa nititur! Quantus, quaeso, strepitus antennarum, et funium! Quantus in navi tumultus! Nemo enim pedibus se continere poterat, quin illico subverteretur! Robinson noster, insvetus quippe tantae calamitatis, vertigine corripitur, adeoque male afficitur, ut animam exspirare videretur! Hic enim est, quem vocant, morbus nauticus!

IOH. En justam hominis poenam!

PAT. "Heu! parentes optimi! heu!" iterum, iterumque exclamavit; "Nunquam vos revisam! O me impudentem! qui vobis hunc luctum excitaverim!" — Crac! Crac! auditur repente in Stega!

Bone

Bone Deus! exclamant nautae, sis nobis propitius! Tum expallescunt, et desperant de salute! "Quidnam accidit.," Robinson terrore exanimatus exclamat! Vae nobis! respondent nautae, periimus! Anterior malus fulmine ictus cecidit, medius autem tantopere convulsus est, ut illum quoque detruncari, atque e navi extrudi oporteret. — Periimus, eheu! novus clamor tollitur ex inferiori parte navis! Dehiscit navis; aqua ad quatuor pedum altitudinem navem complet.

Robinson, qui in cubili nautico humi sedebat, his auditis retrorsum collapsus, animi deliquio opprimitur. Reliqui ad antlias accurrunt, ut navem, si fieri possit, supra aquam retineant! Tandem nauta accurrens eum convellit, atque exclamat: num tu solus otiosus jacebis, dum ceteri laborando defatigantur! Itaque se corripuit, licet infirmissimus atque machinam tentavit. Praefectus interim tormentis aliquot explosis, navibus, si quae forte non longe abessent, significavit, se magna calamitate opprimi. Robinson noster, qui quidem hujus fragoris caussam ignoraret, navem ruptam esse putans iterum exanimatus est! Nauta igitur, qui ei succedebat, pede eum trudit, atque mortui similem negligit.

Jam omnes pro virili aquam exhauriunt! sed ea nihilominus augetur, ita, ut universi mortem instantem timeant! Ejiciuntur quidem ad navem sublevandam omnia, quae minus necessaria essent, tormenta, vasa, cistae, etc. — Sed nihil his omnibus proficitur.

Dum haec geruntur, in alia navi sonitus tormentorum, ad significandam calamitatem explosorum auditus erat. Scapha quoque inde emittitur, ad conservandos saltem navigantes: Sed altitudo fluctuum impedivit, quo minus ad navem labefacta-

 tam

tam accedere posset. Hactenus tandem juncta est puppi, ut iis, qui in ea essent, funis porrigeretur, cujus ope ratis amica tandem attracta est. Robinson quoque, qui pedibus se tenere non valebat, a quibusdam nautis, quos ejus miserebat, in eandem conjectus est.

Vix paullulum a navi secesserant, cum in conspectu eorum undis illa obrueretur. Tempestas nunc furere desiit; quae quidem antea cymbam tot hominibus oneratam subversura fuisset. Innumeris tandem periculis exhaustis navi primariae juncta, in eamque recepta est.

Theoph. Hem! laetor ex animo de salute miserorum istorum!

Nicol. Equidem magnopere eorum causa timui!

Car. Jam resipiscet noster homo, neque in posterum simile facinus audebit!

Mat. Resipiscet sane!

Dieter. Quonam autem inde evasit?

Pat. Navis, quae eum cum ceteris receperat, Londinum tendebat! Quatuor diebus elapsis ad Ostium Thamesis pervenit, neque ita multo post apud Londinum anchoras jecit.

Frider. Quid hoc significat, quod tu dicis *Ostium Thamesis*?

Amic. R. . . Thamesis fluvius est, Albi similis, prope Londinum in mare influens. Loca illa autem, ubi Fluvii Oceano se jungunt, eorum ostia dicuntur.

Pat. Nunc omnes, ac singuli in terram escendunt, atque salute recuperata laetantur.

Jam Robinson noster satis negotii habuit in spectanda immensa urbe Londino. Itaque neque praeteritorum memoria, neque futurorum contemplatio ejus mentem subiit. Tandem venter eum admonuit, cibis opus esse, siquidem in ingenti hac urbe vivere vellet! Adiit itaque praefectum ejus navis, quae ipsum advexerat, eumque rogavit, ut se socium mensae adhiberet. Ille vero eum lubenter hospitio excepit. Hospes inter prandendum e Robinsone nostro quaerit, quo consilio et quid facturus huc venerit? — Tum Robinson ingenue fatetur, se animi causa, et insciis parentibus hoc iter fecisse, jam autem plane consilii inopem esse! „Insciis parentibus tuis?“ clamat nauta exterritus, cultro manu excidente.“ Bone Deus! cur equidem hoc antea non resciveram? Crede mihi, juvenis temerarie, si hoc Hamburgi cognovissem, nunquam te mecum duxissem, vel si magna auri pondera mihi pollicitus esses!

Robinson erubuit, atque oculos demisit. Bonus autem nauta facinoris magnitudinem ei exponere pergit, dicens, se certo scire, illum nunquam ex optata felicitate frui posse, donec resipuisset, atque a parentibus veniam impetravisset. Robinson vehementer commotus flevit.

Sed quomodo mihi nunc consulam? singultans tandem rogat. Quomodo tu tibi consulas? respondit praefectus navis, — Ad parentes tuos reversus, genua eorum supplex amplecteris, atque peccati veniam eos pie rogabis!

Car. En virum magnae probitatis! ain' tu, pater?

Pat. Fecit ille, quod unumquemque facere oportet, qui quidem alium peccare videat; juvenem ad officium reducere studuit. — „An vero,

Robin-

Robinson eum interrogat, tu me Hamburgum reduces? Egone? respondit nauta: oblitusne es navem meam periisse? Equidem non ante revertar, quam opportunitatem nactus fuero, aliam navem comparandi; sed hoc te diutius, quam par est, morabitur! Tu potius primam quamlibet navem, quae hinc Hamburgum tendit, conscendes, ne unius quidem diei mora interjecta!

Sed plane careo pecunia, excepit Robinson. En quatuor Guineas, nauta respondit. —

Theoph. Guineas! quid hoc rei est?

Pat. Monetae sunt Anglicae, Theophile; aureae vero, Ludovicis nostris aureis similes. Sex Thalerorum fere pretio veniunt, domi tibi ejusmodi monstrabo.

Ioh. Quin tu pergis! pater!

Pat. Ecce, respondit itaque bonus nauta, ecce aliquot Guineas, quas tibi commodabo, licet jam ipse iis aegre caream. His tu adjutus ad portum te confer, atque societatem itineris in navo quadam tibi quaere! Si te vere poenitet flagitii tui, deus jam tibi feliciorem cursum dabit, quam nobis huc proficiscentibus dedit. Tum benevole eum amplexus, atque iter faustum ipsi precatus est. — Robinson abiit!

Nicol. Hem! jam ne domum redit? Equidem putavi, nunc demum ad rem ventum iri.

Mat. Num vero displicet tibi; o bone, Robinsonem ad parentes suos reverti, qui sine dubio de ejus salute valde solliciti erunt?

Amic. R. At vero etiam, nonne laetaris, eum injuriae commissae poenitere, atque resipiscere?

Nicol. Laetor equidem; sed sperabam, nos nunc lepidissimas res audituros esse!

Pat.

PAT. Ille vero domum nondum rediit! Audiamus itaque, quid postea ei acciderit? Dum enim ille ad portum vadit, variae cogitationes animum ejus subeunt. Quomodo parentes mei me redeuntem excipient? Secum tacite loquitur. Castigabunt sane propter facinus tam impium! Sodales vero ceterique tribules me irridebunt, quod tam cito redierim, vix aliquot plateis Londini conspectis! — Cogitabundus restitit. Nunc proficisci tergiversatur; nunc meminit nautae, qui dixisset, ipsi omnia mala impendere, nisi ad parentes reversus esset. Diu dubitans, quidnam consilii caperet, tandem ad portum pergit. Ibi autem summa cum voluptate animadvertit, nullam adesse navem, quae Hamburgum tendat. Qui autem eum hac de re certiorem fecerat, e praefectis earum navium erat, quae ad Guineam proficiscuntur.

FRID. Quinam isti homines sunt?

PAT. Hoc tibi Dietericus exponet; qui eos probe novit.

DIETER. Meministine ejus terrae, quam Africam vocant? Altera ejus ora —

FRID. Ora?

DIETER. Ea pars scilicet, quae mari adjacet — en! mappas meas compendiarias opportune teneo — hic tractus terrae, qui se deorsum curvat, ora Guineae appellatur!

PAT. Nautae vero, qui eo proficiscuntur mercaturae causa, inde nomen duxerunt! Ex iis ille quoque fuit, quocum Robinson noster tum locutus est.

Hic quidem vir Robinsonis confabulatione delectatus, eum invitavit, ut navem secum conscenderet.

ret, atque aquam calidam Theae fucco infectam forberet; cui ille lubenter morem geffit.

Ioh. Num vero praefectus ille germanice loqui poterat?

Pat. Oblitus eram dicere, Robinfonem jam Hamburgi opportunitatem inveniffe addifcendae linguae Anglicae, quae quidem jam ei in Anglia verfanti magnam utilitatem praeftitit.

Praefectus navis cum audiviffet, eum flagrare cupiditate peregrinandi, atque vehementer dolere, quod tam brevi tempore elapfo Hamburgum fibi revertendum fit, Robinfoni auctor fuit itineris ad Guineam faciendi. Quo audito nofter homo primum obftupuit; fed cum praefectus ei demonftraffet, iter hoc fore jucundiffimum, fe eum confuetudinis caufa gratis excepturum, atque ei omnia fuppeditaturum, ipfum autem non contemnendas fortunas hoc itinere acquifiturum — tum fubita cupiditate proficifcendi abreptus, omnia neglexit, quae eum bonus nauta Hamburgenfis monuerat, quaeque facienda paullo ante in animo habuerat.

Sed paullatim re cogitata, equidem ait „praeter tres Guineas nihil pecuniae habeo! Quid tandem his paucis emam, ad mercaturam eo loco faciendam, quo tu tendis? Commodabo equidem tibi, refpondit praefectus, fex alias Guineas! His omnibus tantas fane merces emere poteris, quantae tibi fufficiant ad idoneas divitias in Guinea acquirendas, modo fortuna mediocri utamur!

Quid autem his mihi comparabo! Robinfon interrogat. Meras nugas! nauta refpondit! Coralla vitrea, cultros, afcias, forfices, fclopeta, taenias, etc. — quibus nigri Africae incolae tantopere delectantur, ut tibi auri, eborisque copiam centies majorem pro iis daturi fint.

Iam

Iam Robinson diutius sibi temperare non potuit, quin parentum, amicorum, patriaeque oblitus exclamaret: Euge! vehor tecum! Agedum! respondit praefectus, et dextris junctis itineris societatem paciscuntur.

Ioh. Nunc equidem plane stultum illum Robinsonem negligam, quantacunque calamitate opprimatur!

Pat. Tu eum plane negliges Iohannes?

Ioh. Omnino, pater! Cur enim stultus ille denuo pietatis erga parentes immemor est? Nonne deus hominem tam impium poenis afficiat?

Pat. An vero ille, qui quidem eo usque miseriae pervenit, ut parentum oblivisci, atque a deo nisi poenis immissis corrigi non possit misericordia tibi indignus videtur? Ille quidem auctor est omnium malorum, quae ei contingent; sed nonne eo miserior est? O mi fili, incolumem te nosque omnes numinis benignitas servet ab acerbissima ista calamitate, quae eos opprimere solet, qui sentiant se ipsos miseriae suae auctores esse! Sed ubicunque ejusmodi miserum invenerimus, semper pie cogitabimus eum hominem esse, eum a felicitatis via aberrasse, atque fraterna pietate commoti deum optimum maximum lacrimantes pro ejus salute precabimur. —

Tum omnes paullulum conticuerunt, donec pater ita perrexit:

Robinson itaque novem Guineis suis adjutus ad urbem properat; comparatque ex iis rebus, quarum emendarum praefectus ei auctor fuerat; tum in navem transportandas curat. Diebus aliquot elapsis, ventoque secundo oborto praefectus navis anchoras solvi, atque vela ventis dari jussit.

Dieter. Quaenam autem via illis capienda erat ad Guineam tendentibus.

Pat. En mappas tuas Geographicas! Cedo, monstrabo tibi! Ecce Londino profecti Thamesi usque in Oceanum Germanicum vehuntur; tum versus Occidentem tendunt, atque per fretum Calesium, Canalem quem dicunt, intrant. Inde Oceano Atlantico se committunt, atque insulas Canarias, et Promontorii viridis legunt, donec ad istam oram, quae Guineae dicitur, appellant.

Dieter. Sed ubinam ejus loci navem appellent?

Pat. Istic fortasse, apud Promontorium Corso, quod quidem Anglorum est.

Mat. Sed tempus erit nobis quoque, vela faciendi, atque mensae appellendi. Sol jam diu occidit!

Theoph. Minime equidem esurio!

Car. Ego quoque audire plura mallem!

Pat. Cras, cras audiemus, o mei! quid Robinsoni porro contigerit. Iam ad coenam eamus!

Omn. Ad Coenam, ad coenam, ad coenam!

VESPERA SECUNDA.

Proxima vespera, cum universi eodem loco iterum recubuissent, pater sic narrare pergit:

Robinsonis nostri cursus novus faustissimum habuit initium. Iam incolumes fretum Calesium, et Cana-

Canalem transierant, atque in ipso mari Atlantico versabantur. Ibi autem per multos dies continuos ventis tam adversis obruti sunt, ut magis magisque ad Americam rejicerentur.

En! mei liberi! magnam istam tabulam, quam propterea mecum attuli, quod in ea melius, quam in exigua quadam cernere poteritis, quem in locum navis ista vere tetenderit, quo autem a ventis compulsa fuerit! Hic deorsum nostri homines cursum dirigebant; sed cum ventus partim ex adverso, partim a latere eorum flaret, inviti eo abrepti sunt, ubi Americam sitam videtis. Sed arbori isti potius mappam nostram affigam, ut eam opportune ante oculos habeamus.

Tum vespere quodam gubernator significavit, se ignem e longinquo conspicere, atque ex eodem loco sonitum nonnullorum tormentorum audivisse. Omnes itaque stegam conscendentes, ignem vident, tormentorum sonitum ipsi audiunt. Praefectus navis accurate inspecta tabula nautica intellexit, vel ad centum milliaria nihil terrarum esse. Quam ob rem universi existimant, hunc ignem nihil aliud esse, nisi navem incendio correptam.

Extemplo nostri homines consilium capiunt, miseris istis succurrendi, ad eosque navem dirigunt. Mox autem distincte cernunt, conjecturam suam non vanam fuisse, cum navem magnam flagrantem conspicerent. Praefectus statim quinque tormenta explodi jussit, quibus miseris istis significaretur, navem amicam appropinquare. Vix autem hoc peracto navis incensa terribili cum fragore ad coelum projecta, mox vero penitus undis obruta, ignisque extinctus est. Flamma enim cameram pulveris tormentarii corripuerat. Quid vero mi-

 seris

feris istis accidisset, qui navi incensa vecti erant, adhuc incertum erat. Sed cum Praefectus speraret, eos in scaphas se recepisse, antequam navis incendio consumeretur, per noctem continuam tormenta explodi jubet, ut illi certiores fierent de loco, in quo versaretur navis amica. Lampades quoque accendi curat, quarum ope navis sua conspiceretur.

Tum die exorto telescopiis duae scaphae animadvertuntur hominibus repletae, atque cum fluctibus colluctantes. Cerni quoque poterat, eos summa vi, sed vento adverso conniti, ut ad navem accederent. Illico praefectus vexillum nauticum explicuit, unde intelligerent isti, se ab illo cognitos, illum vero ipsis recipiendis paratum esse. Navis quoque majori impetu ad eos tendit, atque hora dimidia elapsa ad miseros istos pervenit.

Sexaginta fere homines inveniuntur, viri, mulieres, et liberi, qui omnes in navem recepti sunt. Tum visu dignum erat spectaculum, cum infelices isti se salvos incolumesque viderent! Alii enim flebant prae gaudio; alii clamabant, velut nunc demum periculo opprimerentur. Alii in nave exsultant, velut mente orbati, alii pallidi pectora tundunt, alii rident amentium more, saltantes simul, atque jubilantes; alii vocis, atque vitae expertes adstant. Iam nonnulli ex iis in genua procidunt, manus supplices in coelum tendentes, claraque voce deo optimo maximo gratias agunt pro salute recuperata. Iam vero se recipiunt, more parvulorum exsultant, vestes discerpunt, plorant, aut animi deliquio oppressi vix in vitam restitui possunt. Nemo quoque e nautis tam durus erat, quin

quin his conspectis lacrimam humanitatis testem effunderet.

In numero miserorum istorum fuit quoque vir juvenis, verbi divini minister, qui omnes animi fortitudine, et dignitate superabat. Simul ac enim navem ingressus erat, in faciem procubuit, ita, ut mortui instar referret. Praefectus itaque ad eum accessit; ejus excitandi causa, existimans, hominem animi deliquio laborare. Ille vero summa cum animi tranquillitate istum alloquitur, gratamque mentem ei professus dicit: Sine me creatori meo pro salute nostra gratias agere; postea tibi quoque profitebor gratissimum animum meum pro beneficio tuo. Praefectus magna cum reverentia pedem retulit.

Cum vero aliquamdiu, facie in terram demissa, jacuisset, laeta fronte surrexit, et ad praefectum se contulit, ut illi tandem gratias ageret. Quo facto ad socios fortunae se convertit, eosque admonuit, ut animi tranquillitatem recuperare studerent, cujus ope mentem suam rite ad numen benignissimum dirigerent, eique pro vita conservata gratias dignas agerent. Multos quoque haec admonitio movit. Tum narravit, quinam essent, et qua tandem fortuna usi fuissent.

Navis incensa e magnis navibus mercatoriis Francogallorum fuerat, quae Quebecam tendere solent — urbem istam Americae videtisne? Ignis autem exortus erat in cubiculo gubernatoris, atque tam velociter grassatus fuerat, ut nulla spes ejus restinguendi superesset. Vix temporis spatium illis relictum fuerat, quo nonnullis tormentis explosis in cymbas se reciperent. Iam de futura conditione plane incerti metuerant ne primo quoque tempestatis impetu obruerentur, aut fame, et siti opprimerentur, quoniam e navi incensa vix

 dierum

dierum aliquot victum secum apportare potuerant.

Frid. Hem! cur vero aquam inde auferre debebant? nonne enim in mediis undis versabantur.

Pat. Oblitus eras, Friderice, aquam marinam tanta esse amaritudine, et salsugine, ut nemo eam bibere possit.

Frid. Ehem!

Pat. Terribili hac calamitate oppressi sonitum tormentorum in navi Anglica explosorum audiverant, et non ita multo post lampades quoque expositas conspexerant. Sic inter spem, et timorem noctem longam, atque tristem duxerant, undis interim longius rejecti, quam summa vi connisi ad istam navem accessissent. Tandem lux diei exspectatissima miseriae eorum finem attulerat.

Robinsonis animus interea vehementissime perturbatus fuerat! Heu! secum ipse loquitur, heu si isti homines, inter quos profecto longe probiores me ipso sunt, tantis malis conflictati fuerunt, quid mihi exspectandum erit, qui animo tam ingrato erga parentes fuerim! Ista quidem cogitatio, montis instar, animum ejus oppressit. Pallidus, atque mutus; malefactorum scilicet conscientia fractus, in angulo sedet, manus torquens, atque vix deum precari audet, quippe existimans, deum optimum maximum a se plane alienatum.

Mat. Haec est eorum conditio, qui malefactorum sibi conscii sunt! Tales homines, quoniam se ipsi calamitate dignos arguunt, laeta in deo fiducia plane carent, omnia pessima timentes. Heu! miseram profecto conditionem!

Pat. Miserrimam sane! Deus nos, omnesque homines ab ea incolumes servet! —

Iam

Iam isti miseri, qui conservati quidem, sed valde infirmi erant, cibo, potuque refecti sunt. Tum ille ex iis, qui dignitate ceteros anteibat, magnam crumenam auro repletam praefecto navis porrexit, dicens: hanc solam e navi sua auferri potuisse, quam ille ut acciperet testem grati animi se orare.

Nunquam equidem committam, respondet praefectus, ut munus tuum accipiam. Nihil enim nisi humanitatis officio-functus sum, certo autem mihi persuadeo, vos eadem humanitate erga nos usuros fuisse, siquidem nos ea indiguissemus. Sic ille, quamvis gratissimus, nihil sollicitando profecit apud praefectum nostrum; constanter enim hic recusavit munus oblatum, illumque rogavit, ut precibus plane abstineret. — Tum deliberatur, quonam loci homines isti conservati ducendi essent? Duplex enim causa erat, cur non ad Guineam ducerentur. Cur primum miseri isti iter tam longum in regionem eam facerent, ubi nihil negotii habebant? Tum quoque tanta copia alimentorum in nave non erat, quae tot hominibus eousque sufficeret.

Tandem bonus praefectus statuit, molestiae ratione non habita, illorum causa vel centum milliaria a via proposita deflectere, eosque in *Terram novam* transportare, ubi sperabat fore, ut opportunitatem redeundi in Galliam cum piscatoribus asellorum nanciscerentur.

Carol. Quinam sunt isti piscatores asellorum?

Ioh. Oblitane es, patrem nobis narravisse de asellis, eos quidem e superiori mari glaciali descendere, usque ad Syrtes Terrae novae, ubi magna earum copia capitur?

Carol. Ehem! nunc memini!

Ioh. En! Terram novam Americae superiori contiguam; puncta vero illa syrtes denotant! Qui autem ibi asellos piscantur, asellorum piscatores dicuntur!

Pat. Eo igitur profecti sunt, et cum adventus eorum opportune in illud anni tempus cecidisset, quo plurimi aselli capi solent, e Francogallorum navibus ibi deprehensae sunt, quae miseros istos reciperent. Gratus eorum animus erga bonum illum praefectum verbis exprimi nequit. Qui quidem, illis in locum optatum deportatis secundo vento reversus, iter suum ad Guineam prosecutus est. Navis volucris instar, undas transvolat, ita, vt brevi vel centum milliaria viae confecisset. Qua cursus celeritate noster Robinson mirifice delectatus est, quippe morae impatiens; impatiens enim morae erat.

Post aliquot dies, cum semper versus Australem regionem cursum direxissent, subito navem magnam conspiciunt ad se tendentem. Mox vero inde audiunt sonitum tormentorum periculi instantis proditorem, et animadvertunt navem illam duobus anterioribus malis orbatam. Accedunt itaque ad illam, et cum eatenus appropinquassent, ut cum iis, qui in ea veherentur, verba conferere possent, sublatis manibus, et miserabili vultu isti exclamant: servate, o boni, servate navem hominibus repletam, quibus omnibus pereundum erit, nisi vos eorum miseruerit.

Tum ex iis quaesitum est, qua tandem calamitate opprimerentur? quidam vero ex illis sic narrare incipit:

Anglos videtis, ad Insulam Iamaicam — en vero eam, mei liberi, in sinu Americae sitam! — tenden-

dentes ad deportandam inde facchari vecturam! Ibi dum navem anchoris alligatam, complere incipimus, nauta cum gubernatore in terram escendunt ad res nostras curandas. Interea tempestas vehemens tanto cum turbine oritur, ut funis anchorae discerptus, navis autem e portu in altum compulsa sit. Tempestas ista tres dies, atque noctes continuas furere non desiit; tum malis amissis centum, et plura milliaria abrepti sumus. Ad hanc nostram calamitatem accedit, quod nemo nostrum artis nauticae peritus est; novem integras hebdomades ita circumacti, omnem victum consumsimus, maxima pars autem nostrûm fame contriti sunt.

Bonus igitur praefectus statim cymbam exponi jubet, idonea quoque alimentorum copia secum assumta ipse cum Robinsone, ad navem labefactatam accedit. Eos, qui ista vehebantur, magna calamitate oppressos deprehendunt. Universi inedia fere consumti sunt, multi pedibus se continere nequeunt. Cum autem cubiculum nauticum intrassent, — quantus quaeso! eorum terror erat! Mater cum filio, et servula, mortuorum instar, humi jacebant. Matrem immobilem inter duas sellas alligatas prostratam deprehendunt, capite ad parietem navis acclinato. Ancilla prope eam abjecta jacet, brachio altero mensae pedem amplexa; juvenis vero in lecto, corium, quo manus tegi solent, femirosum ore tenens.

Carol. Amabo te pater! nimia tristitia nos afficis!

Pat. Recte mones, Carolina; oblitus eram, vos talia audire nolle! Hanc itaque historiae partem omittam. —

Omn. Minime! minime! pater! absolvas, quaesumus eam!

Pat. Si vobis ita placet! — Dicendum vero antea vobis erit, quinam fuerint homines isti, in terram miserabiliter prostrati! Ad Iamaicam illi hac nave ex Anglia profecti, repentina matris valetudine coacti erant, dies aliquot in navi operiri. Probos autem homines esse, universi testabantur. Mater filium impense amaverat, adeo, ut se ipsa necessario victu fraudaret, ne filius eo careret. Ille autem pius in matrem, idem fecerat, ut omnem victum matri servaret. Fidelis quoque ancilla magis de dominae salute, quam de propria sollicita fuerat.

Iam omnes existimant, eos animam efflasse; mox autem intellectum est, reliquias animae vitalis, in iis inesse. Postquam enim nonnullae succi è carne expressi guttae in ora eorum instillatae sunt, — sensim oculos aperire coeperunt. Mater prae nimia imbecillitate nihil absorbere valebat; vultu autem significavit, ut filio tandem auxilium ferretur. Neque ita multo post diem supremum obiit. Ambo reliqui idoneis remediis refecti, et cum vegetis viribus essent, praefecti humanitate, et cura in vitam feliciter restituti sunt. Iuvenis autem conspecta matre moribunda, iterum animi deliquio tantopere oppressus est, ut vix in vitam revocari posset. Tandem ille quoque cum servula conservatus est.

Quo facto praefectus navem eorum omni genere alimentorum, quibus ipse quidem carere posset, instruxit, fabris suis vero malos fractos, quantum ejus fieri poterat, reficiendos mandavit, et homines istos docuit, quomodo cursum suum ad terram proximam dirigerent. Haec erat insula Madeira, quam hic supra insulas Canarias sitam videtis.

Dir-

A. Dieter. Euge! quae Lusitanorum est!

Ioh. Ubi dulce illud vinum Madeirense nascitur?

Theoph. Canna quoque sacchari!

Carol. Ubi etiam magna copia avium Canariensium est, nonne, pater?

Pat. Recte meministis! Apud hanc insulam praefectus anchoras jecit, atque cum Robinsone in terram escendit. Ibi noster homo aspectu egregiae istius insulae satiari non potuit. Quantum oculorum acies valet, juga videt vitibus consita. Quam ille uvarum dulcedine alliciebatur, quas ubique pendentes conspexit! Quam vero recreatus est, cum praefectus ipsi veniam sedandae cupidinis impetrasset! Tum ex incolis vinearum audiunt, vinum ibi non uti in ceteris regionibus torcularis ope exprimi solere. —

Theoph. Qua tandem alia ratione?

Pat. Vas magnum ligneum uvis implent, tum succum pedibus exculcant, aut cubitis extundunt.

Carol. Fi! taedet me istius vini Madeirani!

Ioh. Equidem vel torculari expressum bibere nolim!

Frid. Cur tu vero hoc nolis?

Ioh. Hem! tu nondum hic fuisti, cum pater nos docuit, vinum pueris non conducere. Statim audies, quantopere iis nocere possit! —

Frid. Verane ille narrat? pater!

Pat. Verissima, Friderice! Pueri enim, qui vinum aut alia potus fortioris genera amant, infirmi, et stupidi fieri solent.

Frid. Fi! nunquam equidem vinum bibam!

Pat. Prudenter feceris! mi fili! — Cum vero praefectum nostrum oporteret ibi aliquantum temporis opperiri, navis reficiendae causa, Robinson post aliquot dies morae impatiens fieri coepit. Quippe animus ejus instabilis, et novarum rerum cupidus, alas sibi optabat, ut quam citissime orbem terrarum pervolaret. Interim navis quaedam Lusitana Lisboa advenit, ad Brasiliam Americae tendens.

Dieter. (*Mappam demonstrans.*) Nonne, pater, ad istam regionem, quae Lusitanorum est, ubi tot auri grana, et gemmae reperiuntur?

Pat. Ad eam ipsam! — Robinson, familiaritate cum praefecto istius navis contracta, avidus granorum aureorum, atque gemmarum, desiderio Brasiliae videndae flagravit, vt ibi loculos suos complere posset.

Nicol. Ignorabat ille quidem, praeter regem Lusitaniae nemini licere aurum, et gemmas ibi colligere.

Pat. Hoc vero fiebat, quod in pueritia se non erudiendum curaverat. — Cum igitur navarchus ille Lusitanus non recusavisset eum sine pretio secum transducere, ipse vero audivisset, navem Anglicam quatuordecim integros dies apud Madeiram opperiri debere, cupiditati longius peregrinandi resistere non potuit. Ingenue itaque amico suo optimo, navis Britannicae praefecto, professus est, se ipso relicto ad Brasiliam profecturum esse. Qui quidem, cum paullo ante e Robinsone audivisset, eum insciis, et invitis parentibus orbem terrarum percurrere, vehementer laetatus de ejus discessu, pecuniaque, quam ei in Anglia commodaverat, donata, eum sapienter monitum a se dimisit. Robinson igitur nave Lusitana conscensa ad Brasiliam proficiscitur. Cursus

eorum prope Insulam Teneriffam erat, in qua altum illum montem cacuminatum videbant. Ibi jucundissimo spetaculo fruebantur. Sol jam diu occiderat, mare tenebris obscuratum erat; cacumen vero montis ejus, qui omnes fere altitudine superat, radiis solis, velut incendio correptum, adhuc candere videbatur.

Post aliquot dies mare aliud spectaculum aeque jucundum eis praebuit. Magna vis piscium volantium supra aquae superficiem elata, tanto splendore, argenti politi instar, mare opplevit, ut illud illuminari videretur.

Frid. An vero etiam pisces volantes inveniuntur?

Pat. Inveniuntur, Friderice, ni fallor, nos ipsi aliquando talem vidimus.

Theoph. Minime falleris, vidimus eum nuper, cum in urbe essemus. Ille vero neque pennas, neque alas habuit?

Pat. Pinnas autem longas! Iis utitur alarum loco, earumque ope supra mare exsurgit.

Iam nostri homines per plures dies continuos felicissimo cursu usi sunt. Repente autem tempestas vehemens a regione Australi oritur; fluctus spumant, atque ad tectorum altitudinem excrescunt; navis sursum, deorsumque agitatur. Sex dies continuos saeva illa tempestas furebat, qua navis tantopere a recta via dejecta est, ut neque gubernator, neque navarchus amplius intelligerent, quonam loco versarentur. Arbitrabantur tamen, se versari in ea regione, ubi Insulae Caribicae sitae sunt, — en regionem istam! — Septimo die, cum fere nox ingrueret, e nautis quidam, magnam omnium in laetitiam, subito exclamat: *Terra!*

Mat.

Mat. Terra! terra! — Coena nos jam dudum expectat! Cras sequentia audiamus!

Theoph. Sine nos, antea audire, dulcissima mater, quomodo in terram escenderint, et quidnam illis ibi acciderit? Equidem lubenter contentus forem frustulo panis, siquidem nobis hic sub dio remanentibus pater narrare pergeret.

Pat. Ego quoque velim, mea Maria, ut hic in gramine viridi coenemus!

Mat. Si tibi placet! Rogate itaque patrem, o liberi, ut narrationem absolvat, ego interim omnia curabo.

Omn. O praeclare! egregie factum!

Pat. Tum omnes in tectum navis ascendunt videndi causa, quaenam illa regio sit, ad quam appulsuri sint!

Sed laetitia eorum subito in vehementissimum terrorem mutata est. Puf! navis crepuit, omnesque, qui in stega erant, tantopere concussi sunt, ut plane corruerent.

Ioh. Quidnam autem illis acciderat?

Pat. Navis in syrtem tam vehementi impetu allisa erat, ut clavis affixa videretur. Confestim vero undae spumantes tantam vim aquae in tectum ejus jaculantur, ut omnes oporteret confugere in cubicula nautica, ne ea abriperentur. Tum flebilis nautarum ejulatus oritur! Alii preces fundunt, alii exclamant, alii desperantes de salute manus torquent, alii mortuorum instar referunt. Horum in numero Robinson erat, qui fere extrema suspiria duceret. Repente auditur navem ruptam esse! Quae vox horribilis omnibus vitam reddidit. Accurrunt itaque in stegam, scapha quam citissime demittitur, omnesque in eam prosiliunt. Erat autem tanta hominum multitudo, ut

ut ora scaphae vix ad latitudinem palmae undas superaret. Terra vero continens tam longinqua erat, tempestas tam saeva, ut omnes de ea assequenda desperarent. Summa vi interim remis annisi, tandem vento secundo ad terram propelluntur.

Subito autem ingentem undam ad scapham magno cum strepitu ferri vident! Omnes ea conspecta horrescunt, remosque abjiciunt. Iam jam in ultimum periculum se deductos vident! Unda ingens scapham assecuta, eam subvertit; tum universi — saevo mari merguntur!

Hic pater conticuit! Omnes quoque, qui eum audiverant, aliquamdiu siluerunt, multi autem suspiria humaniter emittunt; donec mater, coena frugali allata, moerorem liberorum finivit.

VESPERA TERTIA.

Theoph. An vero Robinson nunc vere mortuus est? pater!

Pat. Heri quidem eum in ancipiti periculo versantem reliquimus. Scapha enim subversa, cum omnibus sociis fluctibus obrutus est, — sed eadem illa ingens unda, quae eum obruerat, eum quoque secum abreptum ad littus projecit. Tantopere autem ad saxum allisus erat, ut doloris vehementia e somno lethali, qui eum jam occupabat, excitaretur. Itaque oculis apertis cum se praeter exspectationem in sicco jacentem videret, extremis

mis viribus in littus ascendere connisus est. Cum eo feliciter pervenisset, infirmitate oppressus aliquamdiu sensu orbatus jacuit. Tandem oculis reclusis circumspexit. Eheu! qualis, quaeso, aspectus! De scapha, nave, sociis quoque nihil, nihil reliquum erat, praeter tabulas nonnullas avulsas, quae fluctibus ad littus ferebantur. Ipse, ipse solus mortem evaserat! Iam igitur gaudio aeque, ac terrore perculsus se in genua prostravit, manibus in coelum sublatis alta voce lacrimisque redundans, moderatori coelorum, atque terrarum pro salute mirabiliter conservata gratias egit.

Ioh. Cur vero deus unicum Robinsonem conservaverat, cum ceteri omnes undis obruti essent?

Pat. An tute, Iohannes, semper intelligere potes, cur nos adulti, qui vos ex animo diligimus, hac vel illa ratione vobiscum agamus?

Ioh. Minime!

Pat. Nuper, verbi causa, cum coelum serenissimum esset, nos autem cuncti, animi exhilarandi gratia, in arva Bergedorfiensia proficisci cuperemus, quid ego tum feci?

Ioh. Bonum sane Nicolaum tum oportuit domi remanere, nos reliquos autem non in arva ista, sed Wandsbekiam ambulare.

Pat. Cur vero equidem tam durus eram in bonum nostrum Nicolaum, ut ei non permitterem nobiscum proficisci?

Nicol. Hem! bene memini! Bromlejus noster non ita multo post advenit, ut me ad parentes meos arcesseret, quos diu non videram.

Pat. Nonne vero ex hac re multo majorem laetitiam cepisti, quam ex itinere in arva Bergedorfiensia instituendo?

Nicol. Ehem! multo sane majorem!

Pat. Equidem praesciveram, Bromlejum venturum et hanc ob causam tibi praecipiebam, ut domi remaneres? — Tu vero, Iohannes, quemnam tu Wandsbekiae deprehendisti?

Ioh. Patrem meum carissimum, matrem quoque dulcissimam!

Pat. Hac quoque de re ego certior factus eram, neque alia suberat causa, cur vos tunc Wandsbekiam, non autem in arva Bergedorfensis proficisci voluerim. Hoc meum institutum vobis tum temporis minime arridebat, quod consilium meum nesciebatis. Cur autem istud vobis non exposueram?

Ioh. Ut nobis gaudium inopinatum parares, siquidem praeter expectationem parentes nostros invenissemus!

Pat. Rem acu tetigisti! — An vero putatis, o mei, deum optimum maximum liberos suos, homines scilicet, non eodem amore complecti, quo nos vos complectimur?

Theoph. Multo majori ille quidem!

Pat. An non jam dudum intellexistis, deum omnia melius callere, quam nos, qui propter imbecillitatem mentis raro intelligimus, quidnam nobis vere expediat?

Ioh. Hoc equidem ex animo credo! Deus enim omniscius est, omniaque futura praevidet; hoc autem nostrae conditionis non est?

Pat. Cum igitur deus omnes homines paterno amore complectatur, ille vero sapientissimus sit, atque unice intelligat, quid nobis perpetuo conducat — annon quoque semper nobiscum optime agere putandus est?

Theoph.

Theoph. Sine ullo dubio, pater!

Pat. An vero nos possumus semper intelligere causas divinorum consiliorum? —

Ioh. Tum nos oporteret eadem sapientia praeditos esse, qua ille gaudet.

Pat. Eh! optime Iohannes! iterumne e nobis quaerere cupis, cur deus solum Robinsonem conservaverit, ceteris omnibus demersis?

Ioh. Minime cupio!

Pat. Quam ob rem vero?

Ioh. Quoniam nunc intelligo me hoc stulte quaesivisse!

Pat. Cur autem *stulte* dicis?

Ioh. Quoniam deus optime consiliorum suorum rationes intelligit, quas quidem nos ignoramus.

Pat. Deus itaque benignissimus sapienti profecto, et paterno consilio solum Robinsonem ex omnibus, qui nave ista vecti erant, servavit, licet nos ejus consilii rationes ignoremus. Conjectura quidem talia assequi possumus, nunquam autem nobis arrogabimus hoc, ut putemus, nos in eo falli non posse.

Deus forte, verbi causa, praeviderat, hominibus istis vitam longiorem nocituram esse; eos magnis calamitatibus oppressum, aut vitiis corruptum iri; propterea eos e terra abstulit, animasque eorum immortales in eum locum duxit, ubi meliori conditione, quam in hac terra, uterentur; Robinsoni vero eam ob causam vitam conservasse videtur, ut calamitatibus subeundis corrigeretur. Qui enim amor ejus paternus est, studet ille vel afflictionibus corrigere eos homines, qui indulgentia, et benignitate corrigi nolint. Animis vestris hoc infigite, o mei liberi, ejusque tum memores esse,

 cum

cum vobis olim ejusmodi vitae viciſſitudines contingent, in quibus conſilii divini rationes intelligere non poteritis! Tum ſemper vobiscum cogitate: Deus optimus, maximus longe melius me ipſo intelligit, quidnam mihi conducat; lubenter itaque patiar, quaecunque ille mihi ſubeunda paraverit. Certo enim ſcio, eum nobis talia parare, ad virtutem noſtram promovendam. Hunc itaque fructum e calamitatibus meis capiam; deus aliquando ſortem meam laetiorem reddet.

Dieter. Num Robinſonis mens ita quoque compoſita erat?

Pat. Omnino! Iam enim e periculo tam ancipiti conſervatus, atque a cunctis hominibus derelictus, intimo ſenſu commiſſae injuriae affectus eſt. Nunc in genua proſtratus deum peccatorum veniam rogavit, nunc firmiſſimum cepit conſilium vitae ſerio emendandae, conſtituitque, nihil unquam committere, quod nefas eſſe intellexiſſet.

Nicol. Quid autem nunc fecit?

Pat. Poſtquam de ſalute recuperata laetari deſierat, conditionem ſuam cogitare coepit. Circumſpiciens nihil praeter arbuſta, et arbores ſteriles deprehendit! Nusquam hominum incolarum veſtigia conſpici poterant! Quae res eum vehementer commovit, verentem, ne in hac ſolitudine exulis vita ſibi degenda foret. Sed multo majori horrore perculſus eſt, cum porro apud ſe cogitaviſſet, quid? ſi forte beſtiae, aut homines feri hic degant, a quibus tibi vita nunquam tuta erit?

Frid. An vero etiam feri homines inveniuntur?

Ioh. Eho, Friderice! Nihilne tu de iis audiviſti? inveniuntur ſane, ſed longe, longiſſime a nobis remoti homines ferarum ſimiles!

Theoph. Qui fere nudi degunt! Cogita, quaeso Friderice!

Dieter. Et qui nihil intelligunt, neque aedificia exstruere, neque hortos colere, neque campos arare sciunt.

Carol. Qui etiam carnem crudam, piscesque crudos edunt. Equidem satis audivi! Tu vero, pater, nonne nobis de iis narrasti?

Joh. Quid? quod isti miseri plane ignorant creatorem suum, quoniam nunquam habuerunt, qui eos super hac re erudiret.

Dieter. Propterea quoque tam feri sunt, ut nonnulli ex iis carne humana vescantur!

Frid. Fi! homines impuros!

Pat. Infelices tu dicturus eras! Nonne enim homunciones isti satis infelices sunt, qui in tanta stupiditate, et feritate adoleverunt?

Frid. Num autem huc quoque venire solent?

Pat. Minime! Regiones enim istae, in quibus nonnulli ex istis miseris degunt, tanto intervallo a nobis sejunctae sunt, ut illi nunquam ad nos penetrare queant. — Indies quoque eorum numerus imminuitur, cura aliorum hominum, qui humanitate exculti sunt; hi enim, cum eo perveniunt, istos eadem humanitate excolere student.

Dieter. An vero in ista regione, ubi Robinson nunc versabatur, ejusmodi homines feri quoque fuerunt?

Pat. Hoc ille quidem adhuc ignorabat. Sed cum olim audivisset, in istis terris ejusmodi reperiri, fieri posse putavit, ut in vicinitate sua tales quoque degerent. Quae res eum tantopere exterruit, ut toto corpore contremisceret.

Theoph

Theoph. Hoc equidem crediderim!

Pat. Itaque primum prae timore se commovere ausus non est! Levissimo quoque strepitu exterritus cohorruit. Tandem sitis vehementia coactus circumire coepit, fontis, aut rivi indagandi causa. Quod ei feliciter successit, invento fonte liquidissimo, quo animum suum egregie recreavit! O! quantam voluptatem potus aquae frigidae iis praebet, qui siti excruciantur!

Robinson pro isto beneficio deo gratias egit, spemque de eo concepit, fore, ut sibi cibum quoque praeberet. Qui enim volucres sub coelo pascit, secum cogitat, te quoque fame perire non patietur! Non ille quidem esuriebat, quippe cui angor et terror omnem cibi appetitum exemerat. Multo autem magis requiescere optabat, quippe tot calamitatibus subeundis tantopere debilitatus, ut vix pedibus se continere posset.

Sed ubi jam pernoctandi opportunitatem inveniret? Humine prostratus, et sub dio? Periculum erat, ne ab hominibus feris, aut bestiis devoraretur. Nulla domus, neque tugurium, nec caverna conspici poterat! Diu solatii atque consilii inops haesit. Tandem aves imitari, arboremque conscendere decrevit. Facili quoque negotio arborem invenit ramis satis idoneis, quibus commode insideret, atque dorsum acclinaret. Hac igitur conscensa pie deum precatus, cum satis se composuisset, statim obdormivit. Inter somnum imagines earum rerum, quae pridie ei acciderant, illius menti obversabantur. Tum parentum quoque memoria animum subiit. Videbatur sibi eos intueri, moerore, et luctu debilitatos, plangentes, atque lacrimantes filium, et solatii plane

expertes. Tum sudor gelidus omnibus ejus membris promanavit. Alta voce exclamat: Adsum, adsum! o parentes carissimi! Dum vero ita vociferatur, parentesque amplecti tentat, somno adhuc sopitus se commovit, atque miserabiliter de arbore decidit.

Carol. Eheu! miserum Robinsonem!

Theoph. Iam eum periisse puto!

Pat. Quae ejus fortuna erat, sedem non nimis altam nactus fuerat, solum autem adeo consitum herbis erat, ut satis leniter in terram delaberetur. Nihil quoque nisi levem lateris ejus, in quod lapsus erat, dolorem sensit; cum autem somniando plura etiam passus fuisset, ejus nulla ratione habita iterum potius arborem suam conscendit, ibique remansit, donec sol oriretur. Iam cibis quaerendis operam dedit. Omnia, quae nos Europaei habemus, ei deerant. Carebat pane, carne, oleribus, lacte, aut si habuisset, quae coqueret aut assaret, carebat tamen igne, veru, et ollis. Omnes vero arbores, quas hactenus conspexerat, *Haematoxyla* erant, quae folia quidem, sed fructus nullos edunt.

Ioh. Quaenam sunt istae arbores?

Pat. Sunt e genere earum, quarum ligno ad varias tincturas utimur. Quibusdam in regionibus Americae gignuntur, magnaque earum copia in Europam transportatur. Earum lignum aqua coctum colore fusco eam inficere solet, quo tum tinctores utuntur ad temperandos alios colores. Sed ad Robinsonem nostrum redeamus! Qui quidem plane inops consilii de arbore sua descendit! Cum autem pridie nihil omnino comedisset, fame male vexari coepit. Itaque per aliquot millia

passuum

passuum discurrendo nihil invenit, nisi arbores steriles, et gramina.

Iam summo angore excruciatus, exclamat. „Pereundum mihi erit fame!„ miserabiliter simul plorans. Ipsa vero necessitate vires, animumque praebente, ad littus maris se contulit, ut ibi specularetur materiam ciborum. Quae spes eum fefellit; nihil enim deprehendit, praeter haematoxyla, salicesque Indicas, nihil nisi gramina, et arenas. Tum viribus exhaustus facie in terram demissa, alta voce flevit, tum eum vitae ex undis servatae poenituit, cum inedia jam sibi pereundum esse putaret. Constituerat etiam, desperata prorsus salute, mortem lentam, atque terribilem a famis violentia expectare. Sed reversus forte, falconem marinum conspexit, qui piscem captum per aerem rapiebat. Subito tum illorum verborum recordatus est, quae alicubi legerat: An vero numen illud, quod corvos nutrit, homines negligat? „Quicunque in parvis rebus magnus fuerit, majorem etiam in magnis se praebebit!„ Nunc eum puduit abjectae in divina providentia spei; illico e solo se corripuit, atque circumire constituit, quoad vires sufficerent. Perrexit itaque ad oram procedere, ac ubique circumspicere, an forte cibum aliquem indagare posset. Tandem ostreas nonnullas marinas in arena jacentes videt. Avidus itaque eo accurrit scrutaturus, an forte nonnullas plenas reperiret. Inventis quoque magnopere laetatus est.

Ioh. Anne vero ostreae istae temere in ora jacent?

Pat. Non illae quidem. In mari potius vivunt, ubi saxis coacervatae adhaerent. Talem acervum ostrearia dicunt. Multae autem ex iis undis

undis avulsae aestu maris affluentis ad littus feruntur. Desinente vero maris accessu, cum illud refluere incipit, in sicco relinquuntur.

Frid. Quid vero significat accessus, et recessus maris?

Carol. Eho! Friderice? Hoc tu ignoras? Cum aqua tumescit, *accessum*, cum subsidit, *recessum* maris dicunt.

Frid. Quaenam aqua?

Carol. Hem! aqua marina!

Amic. R... Fratrem tuum Iohannem, Friderice, roga, ut tibi hoc exponat.

Ioh. Meae? — Periculum itaque faciam! Nonne animadvertisti, aquam Albis interdum altius in ripas ascendere, tum paullo post descendere, ita ut ibi progredi liceat, ubi antea aqua fuerit?

Frid. Hoc equidem saepius animadverti!

Ioh. Euge! Accessum maris appellant, cum aqua ripas superat, cum autem decrescit, ripis denuo siccatis, recessum.

Pat. Ego vero tibi dicam, Friderice, aquam marinam spatio viginti quatuor horarum bis ita crescere, totiesque decrescere. Intra sex horas, et quod excurrit, crescere, intra totidem horas vero decrescere solet. Illud temporis spatium *accedentis*, hoc vero *recedentis maris tempus* dicitur. Iam ne intelligis?

Frid. Optime intelligo! sed cur aqua ita intumescit?

Theoph. Equidem hoc scio; luna aquam attrahit, ut sursum tendat.

Nicol. Ehem! saepius haec audivimus! sinatis patrem pergere!

Pat.

Pat. Alias tibi, Friderice, hanc rem copiosius exponam! —

Robinson mentis vix compos prae gaudio erat, quod invenisset aliquid, quo famis saevitiam aliquantulum sedaret. Ostreae repertae non sufficiebant quidem ad eum satiandum; attamen contentus fuit, quod omnino aliquid reperisset. Iam vehementer sollicitus erat de habitaculo a feris hominibus, et bestiis satis tuto! Diverticulum enim prioris noctis eum tantis molestiis effecerat, ut non sine horrore cogitaret necessitatem futurarum noctium eodem modo degendarum.

Theoph. Equidem satis scio, quomodo mihi consuluissem?

Pat. Quo tandem modo, Theophile! Narra nobis!

Theoph. Primum mihi domum aedificaturus fuissem, parietibus crassissimis, foribus quoque ferreis munitam! Tum fossa hanc circumdedissem, ponte versatili clausam, quem quavis nocte subtraxissem. Tunc profecto feri isti homines frustra conati fuissent me dormientem laedere!

Pat. En! callidum tuum inventum! Utinam tu socius Robinsonis fuisses; tu misero isti praeclare consuluisses! — Sed — subit mentem dubium quoddam — an tu, Theophile, satis accurate inspexisti fabros lignarios, et coementarios, domum aedificantes? —

Theoph. Eho! saepius equidem! Primum caementarius calcem praeparat admista arena. Tum laterem lateri imponit, atque trulla adhibita eos calce interlinit, ut probe cohaereant. Tum fabri lignarii accedunt, lignaque exasciant asciis, quo melius coalescant. Tum trochleis tigna sursum trahunt, clavisque affigunt. Tum tabulas quoque et asseres serra conficiunt, easque trabibus

 bus

bus affigunt tegularum imponendarum causa. Tum —

Pat. Satis video, Theophile, te probe animadvertisse rationem aedificii exstruendi. Nonne autem fabris tuis murariis, calce, trulla, lateribus, aut lapidibus antea coaptandis, opus est? fabri vero lignarii asciis, serris, terebris, clavis, norma, malleis carere non possunt. Unde tu quidem ista sumturus fuisses cum Robinsone tuo?

Theoph. Hem! Hem! Hoc equidem plane ignoro!

Pat. Eadem consilii inopia Robinson laborabat; propterea quoque omnem spem aedificii idonei exstruendi abjecit. Nulla omnino habuit instrumenta praeter solas manus, quae certe non sufficiunt ad exstruendas ejusmodi domus, quales nos habemus.

Nicol. Ehem! Nonne vero casam sibi exstruere poterat e ramis arborum?

Pat. An vero casa frondibus constructa, eum tutum a serpentibus, lupis, pantheris, tigribus, leonibus, et aliis ejusmodi bestiis praestitisset!

Ioh. Hu! Hu! — miser Robinson! quid tandem te fiet?

Nicol. Nonne vero sclopetis uti poterat?

Pat. Hem! Modo sclopetum, pulverem nitratum, et plumbum habuisset. Misellus iste autem omnibus rebus, uti scimus, egebat, exceptis manibus.

Deplorata hac conditione perspecta, subito in pristinam sollicitudinem relapsus est. Quid tandem profeci, quod fame non perierim, cum forte hac ipsa nocte a feris devorari possim! Apparuit quoque menti ejus perturbatae imago saevae tigris, faucibus apertis, dentibus acerrimis. Iam a

bestia

bestia ista oppressus sibi videtur, itaque magna voce exclamat: O miseri parentes mei! — exanimisque in terram delabitur.

Cum aliquamdiu angore, et desperatione oppressus jacuisset, cantilenae cujusdam recordatus est, quam e matre pia saepius audiverat, si quid adversi ei acciderat, quae ita incipit:

Adversis rebus animum objiciam intrepidum, deo me commendabo; Ei credam, miseriam tandem a me repellet. Quod carmen mirifice eum confirmavit; itaque illud bis apud se non sine magna animi commotione recitatum alta voce cantare coepit. Quo facto e solo erectus progressus est, ad indagandam aliquam cavernam, quae ipsi tutum refugium praeberet. Caeteroquin plane adhuc ignorabat, ubinam degeret? An in continenti Americae, an vero in Insula quadam? Montem e longinquo conspexit, eoque se contulit. Inter eundum magna cum tristitia animadvertit, omnem istam regionem nihil gignere, nisi arbores steriles, et gramina. Cogitate, quaeso, quomodo hoc eum affecerit!

Tum in montem satis excelsum, sed aegre ascendit, unde quam latissime circumspicere poterat. Sed quantus, quaeso, ejus terror fuit, cum vidisset se in Insula esse, neque usquam, quoad oculorum acies penetraret, terram reperiri praeter duas parvas insulas, quae spatio aliquot milliarium remotae e mari prominebant.

Heu! Heu! me miserum! manibus in coelum miserabiliter sublatis exclamat. Adeone me ab hominum societate sejunctum esse, ut omnis spes relinquendi tristis hujus deserti mihi abjicienda sit? Eheu! parentes mei miseri! Nunquam igitur vos revisam! Nunquam a vobis delicti mei veniam

impetrabo? Nunquam dulcem vocem amici, aut iominis audiam! — Attamen digna perpetior! Deus enim justissimus est! Queri non licet. pſemet hanc calamitatem mihi paravi!

Tum, somniantis instar, atque vix sui conscius restitit, vultu immobili in terram defixo. En ne a deo, hominibusque relictum! hoc unice cogitavit. Tandem versiculus quidam e cantilena sta pia mentem ejus subit: — *Calamitatibus oppressum noli putare te a deo negligi, aut istos ub eo sinu foveri, qui perpetua fortuna fruantur. Futuri temporis exitus saepius res nostras mmutat, atque afflictionibus modum finemque offert!* — Quo facto vehementer commotus in genua se prostravit, deo patientiam, atque submissionem supplex pollicitus, cum animi fortitudinem calamitatibus parem rogavit.

Carol. O! quam Robinsoni nostro nunc profuit, didicisse tam praeclaras cantilenas, quae ei solatium rebus adversis praeberent!

Pat. Profuit sane! Quid enim factum esset, si unc ignoravisset, deum esse hominum patrem benignissimum, omnipotentem, et omnipraesentem! ereundum ipsi fuisset angore, et desperatione, isi ista olim edoctus esset. Quoties autem aeternam coelestis patris benignitatem cogitavit, toties olatio, et animi fortitudine se auctum sensit.

Carol. Mene quoque plura de deo docebis, ater, quemadmodum ceteros docuisti?

Pat. Lubenter equidem meum corculum! Quo magis in dies sapies, eo plura tecum de deo ostro optimo maximo colloquar. Scis enim me ibentissime de ejus benignitate, amore, et majestate exponere!

Carol.

Carol. O quam te amo! Nihil quoque mihi jucundius esse potest sermonibus tuis, quos de deo nobiscum habere soles.

Pat. Neque hoc injuria facis! mea Carolina! Cum enim recte deum cognoveris, multo magis etiam virtuti studebis, majoribusque gaudiis tum frueris. —

Iam Robinson noster magnopere confirmatus, montem circumire coepit. Diu autem frustra quaesito loco satis tuto, ubi habitare posset, tandem ad monticulum pervenit anteriori parte, parietis instar, praeruptum. Quod ejus cum accuratius inspexisset, locum invenit leniter excavatum angusto introitu. Hic si uncum aut scalprum, aut ejusmodi instrumentum habuisset, facili negotio hanc caveam, quae fere saxo constabat, habitaculo idoneam reddere potuisset; sed his omnibus carebat. Itaque excogitandum ei erat aliquid, quo huic inopiae mederetur. Postquam diu meditando defatigatus erat, sic cogitare coepit: arbores, quas hic video, salicibus patriis similes videntur, quae facilem transplantationem patiuntur. Itaque idoneam earum copiam manibus effodiam, iisque spatium mediocre ante hanc caveam ita congeram, ut parietis instar referant. Quae cum ramos egerint, atque succreverint, hoc in loco aeque securus dormire potero, ac si in domo quadam degam. A tergo enim saxo praerupto defendor, a parte anteriori et a lateribus arborum densitas hoc mihi praestabit. Felici hoc invento vehementer laetatus illico ad rem efficiendam se accinxit. Majori quoque laetitia affectus est, cum fontem liquidissimum huic loco vicinum e monte profluentem conspexisset. Ad quam accessit, potuque frigido se antea refecit, quoniam discurrendo a solis aestu magnam sitim contraxerat.

Theoph.

Theoph. An vero solis aestus in hac insula erat?

Pat. Hoc tu facili negotio intelliges! En! (dum mappam demonstrat:) hic insulas Caribicas sitas, e quibus illa fuerit, in qua Robinson nunc degebat. Vides autem insulas istas non longe remotas ab illo loco, quem aequatorem terrae dicunt, ubi solis radii ad perpendiculum homines feriunt. Vehementem igitur calorem eo loco excitare necesse est.

Iam Robinson aliquot arbores aegre eradicatas eo transportavit, ubi habitaculum ponere constituerat. Ibi autem fossae complures conficiendae erant, quibus arbores istas insereret. Quod quidem cum lente successisset, vesper advenit vix quinque, aut sex arboribus absolutis. Fame compulsus oram maris antea repetiit ostrearum conquirendarum causa. Cum autem forte maris fluxus esset, nihil invenire potuit; itaque esuriens cubitum ire coactus est. — Ubinam vero? Constituerat scilicet in arbore sua pernoctare, donec habitaculum tutum sibi confecisset. Eo itaque se contulit.

Ne autem hac nocte idem ipsi accideret, quod priori nocte passus erat, genualibus se ei ramo alligavit, ad quem dorsum acclinare solebat. Tum creatori suo se commendavit, atque tranquille obdormivit.

Ioh. Hoc sane prudenter fecit!

Pat. Multa inveniunt homines, necessitate magistra, quae alias non inventuri fuissent. Propterea quoque deus sapientissimus mundum, ac nos ipsos ita formavit, ut multis rebus indigeamus, quas non nisi cogitando, et inveniendo nobis acquirere possimus. Ipsa vero haec inopia earum rerum, quibus egemus, nos callidos, et intelligentes reddit. Si enim columbae assae in ora nostra

invo-

involverent, si domus, lecti, vestimenta, cibus, potus, omniaque, quibus nobis ad vitam conservandam, atque exhilarandam opus est, sponte sua e terra nascerentur, nos profecto omne tempus edendo, bibendo, et dormiendo consumeremus et usque ad mortem bestiis similes essemus.

Nicol. Sapienter ergo a deo institutum est, ut ne ista omnia temere e terra nascerentur!

Pat. Eadem sapientia, atque bonitate, qua cetera omnia hoc quoque instituit! — Ecce autem pulcrum illum Hesperum! Quam grata, quaeso! luce nos perfundit! Illum quoque pater noster coelestis creavit, cui nunc gratiae piae propter hunc quoque diem bene, beateque compositum a nobis agendae sunt. Agite ergo, mei liberi! manibus junctis in umbraculum istud eamus!

VESPERA QUARTA.

Pat. Ehem! mei liberi, ubinam heri Robinsonem nostrum reliquimus?

Ioh. Iterum arborem conscenderat, ut in ea dormiret, et —

Pat. Recte tenes! En, adsum! — Hac nocte melius ei res successerat; non enim decidit ex arbore, sed placide usque ad solis ortum quievit. Ubi autem illuxisset primum littus adiit, ut con-

quisitis

quisitis ibi ostreis ad opus inceptum reverteretur. Iam alia via eo progressus, inter eundum arborem invenit, e qua grandes fructus pendere videbat; quae res magno gaudio eum affecit. Etsi enim earum indolem ignorabat, sperans tamen fore, ut iis vesci posset, ex iis aliquid decussit. Erat autem nux oblonga, triangularis fere, magnitudine capitis puerilis. Putamen exterius, quod non sine summo labore lapidum acutorum ope aperuerat, fibrosum erat, atque velut e cannabo conglutinato factum. Secunda vero crusta duritiem fere testudinis habebat; Robinson igitur animadvertit eam patinae usum praestare posse. Ea adeo spatiosa est, ut simiolam illam Americanam, quam *Sagoinum* appellant, cauda satis longa, capere commode possit. Nucleus valde succulentus erat, glandium instar, neque tamen olei saporem referebat; in medio succum leniter dulcem invenit, satis illum jucundum, atque animo recreando idoneum.

Succus iste e nuce profluit per tria foramina, natura ipsa formata, ita, ut crustam duram interiorem eum in finem aperiri non opus sit; — quod sapienter sane a deo factum est; alioquin enim maxima pars succi istius saluberrimi temere profunderetur, dum crusta illa saxea aperiretur.

Euge! Robinsonem nostrum esurientem, exquisitis tandem dapibus, beatum! Cum autem vehementer fame urgeretur, una nuce non contentus secundam, tertiam quoque decussit, quas eadem cum voluptate comedit. Lacrima etiam, grati in deum animi testis, laetabundi oculos irrigavit.

Arbor ista satis alta erat; sed, palmarum instar, ramis penitus carebat, corona autem foliorum magnorum ensiformium ornata erat.

Theoph.

Theoph. Quaenam vero ista arbor fuerit? Nostris in terris ejusmodi non reperiuntur.

Pat. Cocossa erat, quam India orientalis, et Insulae maris Australis gignunt. Quomodo autem ista in Robinsonis insulam delata sit, hoc equidem dicere non possum. Alioquin enim in Insulis Americae tales non reperiuntur.

Ioh. Equidem nucem Cocossae videre cupio.

Pat. Itane? Hem! monstrabo tibi aliquid, quod ei non dissimile est (Pater non ita multo ante ejusmodi nucem donatam acceperat, quam in medium protulit. Cum eam manibus apportaret, omnes ei obviam iverunt, exsultantes, et mirantes rem antea non visam.)

Pat. Quidnam vero hoc esse putatis?

Ioh. Ah! haec forte est genuina nux Cocossae!

Pat. Quam maxime genuina, si ullam u . quam India genuit!

Omn. Oh! Oh! — *Nicol.* Eho! unde pater istam accepit?

Pat. Neminem vestrum fugit, me ipsum in India non fuisse, neque Hamburgi esse opportunitatem has nuces emendi. Si itaque mihi defuisset amicus, qui istam mihi compararet, nos omnes careremus voluptate, quam e cognoscenda tam rara, atque memorabili nuce nunc capimus.

Mat. Denuo cognoscite, o mei, quantopere conducat hominibus, non tantum suae ipsorum voluptati operam dare, sed aliorum quoque gaudiis inservire. Siquidem bonus iste vir, a quo hanc nucem accepimus, sibi ipse tantum prospexisset, ipse eam consumturus fuisset, neque nos eam unquam vidissemus. Nunc autem genium suum his deliciis fraudare humaniter maluit, ut nos ea exhi-

exhilararet, etsi magna pars nostrûm ei plane igno-ti simus.

THEOPH. Quis autem est humanus iste vir?

PAT. Amicus noster, navarchus, Müllerus, quem vos, qui natu majores estis, ante hoc biennium Stadae vidistis.

NICOL. Euge! Vir ille comis, qui Yorci nos olim convenit!

PAT. Recte eum nosti! — Utinam ipsi deus hanc vesperam aeque hilarem reddat, ac ille nobis eam fecit. Videamus interim, num crustas aperire valeamus?

(Tandem multo labore prospere iis successit, ut crusta exterior dura illa, atque villosa, aperiretur. Tum cultello unum ex istis foraminibus, quae in istam crustam se insinuant, nihilque, nisi nucis ejus medullam continent, perforatur. Quo facto patera mediocris succo profluente repleta est. Hic autem tantam dulcedinem non habuit, quantam ei tribuere solent. Nux enim ista, aut nimis obsoleta, aut etiam prius ex arbore decerpta erat, quam ad maturitatem pervenisset. Tum nucem ipsam serra dissecuerunt, donec potirentur albo isto nucleo, quem in media parte excavatum diximus, quique omnium opinione suavissimam quamque juglandem saporis dulcedine superabat. Quibus quidem epulis omnes vehementer delectati sunt!)

DIETER. Papae! Quantas molestias Robinson superaverit in aperiendo duro isto putamine!

PAT. Hoc quidem nunc satis judicare potestis, postquam cognovistis, quantopere nos in eo laboraverimus, licet cultris acutis, serraque instructi, quibus Robinson carebat. Nihil autem tam arduum est, quin homo fame vexatus laborando superet, modo spem foveat famis sedandae.

Iam

Iam etsi satur factus, tamen ad littus se contulit ostreis intentus. Nonnullas quoque reperit, quae tamen idoneo prandio non sufficiebant. Magnas itaque gratias deo debebat, qui ei hodie opportunitatem inveniendi alius cujusdam alimenti praebuisset. Quas magna cum animi motione egit.

Ostreas repertas secum in prandium abstulit; tum hilari animo ad laborem hesternum revertitur. Magnam quoque concham in littore invenerat, qua pro spatha uteretur, quae ei laborem multo faciliorem reddidit. Neque ita multo post plantam invenit caule fibroso lini, aut cannabis nostrae instar. Haec ille alias neglexisset; nunc autem nihil ejusmodi negligere solebat, omnia potius indagabat, omnia meditabatur, an forte utilitatem aliquam inde capere posset?

Sic cum speraret, fore, ut haec planta eodem modo tractari posset, quemadmodum nos tractare solemus linum, aut canabim, magnam copiam ejus evulsit, fasciculisque colligatis in aquam demersit. Diebus aliquot peractis, postquam animadverterat crustam exteriorem aqua satis emollitam, fasciculis inde sublatis, caules emollitos ad solem explicuit. Quibus vix mediocriter siccatis, periculum fecit, num isti quoque lini instar fuste confringi possent. En vero! res ex sententia cessit!

Confestim e lino inde parato funiculos facere tentat. Isti quidem eandem firmitatem non habebant, ac ii, quos nostri restiarii contorquent, quoniam Robinson neque rotam, neque socium habebat. Interim firmitatem idoneam habuerunt, ut concham suam ope eorum baculo alligare posset. Quae res ei praebuit instrumentum spathae non dissimile.

Iam labori sedulo intentus, magnam vim arborum plantavit, donec vestibulum habitaculi futuri prorsus sepsisset. Cum autem vereretur, ut una series arborum tennium ei munimentum satis tutum praestaret, ad plantandam alteram quoque, quam isti circumdaret, alacriter se accinxit. Tum ambabus intexuit ramos virides, atque callide intervalla earum arena replere constituit. Quo facto parietem nactus est, non nisi magna vi expugnabilem.

Quovis autem mane, ac vespere plantatiunculam suam aqua irrigavit e fonte propinquo petita. Vasorum loco utebatur putaminibus Cocoffae. Mox etiam arbuftum suum virescere, et ramos agere videt, quorum aspectu mirifice laetatus est. Absoluta sepe diem continuum restibus torquendis impendit, e quibus probabilem scalam confecit.

Dieter. Quem vero in usum hanc fecit?

Pat. Statim audies! Nempe constituerat nullam omnino habitaculo suo portam addere; sed extremum quoque ostium arboribus claudere.

Theoph. Quomodo autem illud intrare, indeque exire voluit?

Pat. Hoc ipso consilio scalam istam e restibus sibi confecit. Rupes nimirum habitaculo imminens circiter duarum contignationum altitudinem habebat. In fastigio ejus arbor erat, cui scalam ita applicuit, ut in terram dependeret. Tum periculum fecit conscendendae rupis, quod ei ex sententia cessit.

His omnibus confectis deliberare coepit, quomodo exiguam montis caveam ita dilataret, ut idonei habitaculi magnitudinem nancisceretur. Facile autem intellexit, solas manus huic consilio non sufficere. Itaque excogitandum ei erat instrumentum quod-

quoddam, cujus ope res felicius succederet. Hac mente in locum quemdam se contulit, ubi permultos lapides virides, quos *talcatos* appellant, olim invenerat. Quibus curiose perquisitis mox adeptus est lapidem tam idoneum, ut laetitia ob ejus aspectum efferretur. Nempe lapis iste securis formam referebat, praeacutus erat, atque foramen quoque habebat, in quod manubrium immitti posset. Robinson statim intellexit, hunc lapidem foramine paullulum dilatato securi conficiendae quam aptissimum fore. Quae res ei quoque multo labore, et lapide alio quodam adhibito feliciter successit. Tum fustem idoneum addidit, eumque funiculis ita alligavit, ut clavis affixus videretur. Quo facto, statim ejus periculum fecit in amputanda tenui arbore; quod cum ei ex animo successisset, vehementer laetatus est. Securim istam vel mille Thalerorum pretio non vendidisset; tantam inde sperabat utilitatem.

Dum quaerere pergit, duos lapides alios invenit variis operibus aptos. Alter instar tudiculae, qua lapicidae, et scriniarii utuntur, erat formatus. Alter fustis crassi, et praeacuti modo, ita, ut cunei formam haberet. Robinson utroque secum assumto hilari animo ad habitaculum tendit, operique faciendo se accingit. Quod quidem feliciter processit. Lapidem enim acutum et cunei instar formatum, ad terram, aut ad saxum applicante, tudicula autem tundente, sensim multa ejus fragmenta decutiuntur, cavesque dilatatur. Diebus aliquot peractis opus tam alacriter processerat, ut spatium, quod nactus erat, habitaculo, et cubiculo idoneum putaret.

Antea jam magnam graminis copiam manibus evulserat, atque solis radiis exposuerat, ut foenum

ex eo conficeretur, quod jam fatis torrefactum erat. Itaque in caveam illud transportavit, eoque ad lectum commodum fibi apparandum ufus eft. Nunc igitur nihil impedimenti erat, quo minus more humano, recubans nimirum, dormiret, postea quam noctes plus quam viginti, volucrium inftar, in arbore commorari eum oportuerat. O quanta voluptate perfufus eft, cum membra defatigata lente in foeno molli extendere ei licuit! Deo itaque pro ifto beneficio gratias egit, fic fecum reputans: O! fi populares mei Europaei cognofcerent ejus conditionem, qui multas noctes continuas dura in arbore fedendo tranfegerit; profecto felices fe praedicarent, quod quavis nocte ftrato molli, et tuto frui poffint; quotide autem deo optimo maximo gratum animum pro hoc beneficio profiterentur!

Dies proximus erat dies Solis! Robinfon ergo eum *quieti*, precibus, et contemplationi fui ipfius confecravit! Magnam ejus partem in genua proftratus atque lacrimans, deum peccatorum veniam fibi, parentibus vero miferis benedictionem et folatium enixe rogavit. Tum deo pias inter lacrimas gratias agit pro mirabili auxilio, quo miferiam fuam fublevaverat, fancteque pollicetur quotidianam emendandae vitae curam, perpetuamque obedientiam. —

Carol. Nunc Robinfon nofter ad meliorem frugem rediit!

Pat. Hoc fane deus praeviderat, eum calamitatibus fubeundis emendatum iri; itaque iis ipfum inflixit. Hac enim ratione pater coeleftis femper nobiscum agit. Non iracundia, fed paterno animo ductus nos cum adverfa fortuna interdum conflictari jubet, quoniam intelligit nos aliter animos virtutibus non aeque applicaturos effe.

Ne

Ne autem dierum ordinem oblivisceretur, semper vero cognosceret diem Dominicam, Robinson in animum induxit Calendarium sibi comparare.

Ioh. Ain' tu? Calendarium?

Pat. Non illud quidem tam accuratum, atque typis expressum, quale nos in Europa conficimus, ejusmodi tamen, quod ad numerandos dies sufficeret.

Ioh. Quomodo hoc fecit?

Pat. Cum omnino charta, ceterisque rebus, quae scribendo inserviunt, careret, quatuor arbores contiguas elegit cortice quam levissimo. In eam vero, quae magnitudine caeteras superabat, quovis vespere lineolam lapide acuto incidit, quae diem absolutum significaret. Quoties autem septem lineolas incidisset, toties septimana finita erat; quo facto arbori proximae lineam hebdomadis notam incidit. Quoties in altera hac arbore quatuor, aut quinque lineolas, secundum rationem cujusque mensis, insculpsisset, in tertia arbore simili linea notavit, integrum mensem elapsum. Duodecim autem lineis menstruis absolutis, in quarta arbore annotavit, annum peractum.

Dieter. Menses vero non eandem longitudinem habent, sunt, qui triginta dies compleant, sunt, qui triginta, et unum! Quomodo tandem justum eorum spatium invenire potuit?

Pat. Digitis hoc computare didicerat!

Dieter. Digitis? hem!

Pat. Sane! Quod si vos quoque scire cupitis, ego vos docebo.

Omn. Quaesumus te! quaesumus te! pater!

Pat. Animum igitur advertite! — Ecce! manum sinistram primum sic clausit; tum in alterius

manus digito aliquem ex, istis articulis eminentibus pulsxit, tum eum in sinum proximum depressit, mensibus iusto ordine nominatis. Quicunque in articulos inciderit mensis, dies triginta, et unum habet; ceteri, qui in sinum, non nisi triginta, Februario solo excepto, qui ne triginta quidem, sed viginti octo tantum dies continet, quarto quovis anno viginti novem. Coepit autem numerare ab articulo indicis, eumque mensem, qui isti responderet, primum appellavit, Ianuarium scilicet. Hic itaque — quotnam diebus constat? — *Ioh.* Triginta uno!

Pat. Nunc equidem pergam numerare menses in articulis modo antea exposito; tu vero Iohannes numerum dierum adjicies! — *Februarius*?

Ioh. Triginta dies habere debebat, non autem nisi viginti octo, aut interdum viginti novem habet! — *Pat.* Martius?

Ioh. Triginta unum! *Pat.* Aprilis? — *Ioh.* Triginta! —

Pat. Majus? *Ioh.* Triginta unum! *Pat.* Iunius? —

Ioh. Triginta! *Pat.* Iulius? *Ioh.* Triginta unum! — *Pat.* Augustus? — (dum pollicis articulum ostendit.) *Ioh.* Triginta unum! — *Pat.* September? — *Ioh.* Triginta! *Pat.* October? — *Ioh.* Triginta unum! — *Pat.* November? *Ioh.* Triginta! *Pat.* December? — *Ioh.* Triginta unum!

Pat. Tu vero Dieterice, Calendariumne inspexisti? satisne justus computus noster fuit? — *Dieter.* Iustissimus! pater! — Pat. Talia bene notanda sunt; etenim non ubique Calendarium in promptu est, interdum autem multum interest scire, quot dies mensis hic vel ille habeat?

Ioh.

Ioh. Equidem non obliviscar! — *Dieter.* Neque ego, satis enim intellexi. — *Pat.* Hac ergo ratione Robinson curavit, ne temporis justo computo careret, et ut diem solis dignosceret, eumque more Christianorum rite celebraret.

Interim maxima pars nucum Cocossae ejus, quam unam hucusque invenerat, consumta erat, ostrea autem tam parce a mari ejiciebantur, ut illae solae ad eum alendum non sufficerent. Itaque de victu iterum sollicitus esse coepit. Hactenus quidem non longe ab habitaculo suo discesserat propter metum, quem bestiae, et homines feri ei incutiebant. Iam vero necessitate coactus insulam perlustrare ausus est, novorum alimentorum quaerendorum causa. Hac mente proximo die deo favente excursionem facere constituit. Ne autem violento solis aestu premeretur, vesperam istam umbellae conficiendae impendit.

Nicol. Unde autem linteum, et testa balaenarum petiit?

Pat. Habuit ille neque linteum, neque testas, nec cultrum, nec forfices, neque acum, neque fila; nihilo autem minus — quomodo putatis eum sibi umbellam comparasse?

Nicol. Hem! hoc equidem non video!

Pat. E viminibus salignis tegmen sibi texuit, cujus in mediam partem baculum inseruit, eumque funiculis alligavit. Tum ex arbore Cocossa folia lata petiit, quae acubus tegmini affigeret.

Ioh. Acubusne? Hem! unde tandem eas sumsit?

Pat. Istud vos divinabitis.

Carol. Hui! Rem teneo! Invenerat eas in quisquiliis, et rimis tabulatorum, ubi ego saepius ejusmodi invenire soleo.

Ioh. Egregia narras! Quasi quis ibi invenire possit acus, ubi nemo eas amiserit! Ubinam vero in Robinsonis cavea tabulae, et quisquiliae fuerunt?

Pat. Hem! nemone vestrum conjectura hoc assequetur? —

Quidnam vos moliremini, siquidem acubus vobis aliquid affigendum foret, quas nullas haberetis?

Ioh. Equidem aculeos sentium ad hunc usum adhiberem!

Theoph. Ego vero fruticis aculeati!

Pat. Non contemnenda narratis! Attamen ego vobis dicam, Robinsonem neutris usum fuisse; quippe quos neutros in insula sua repperisset.

Ioh. Quid, quaeso, tandem adhibuit?

Pat. Ossa piscium! Nempe pisces mortui subinde a mari in littus protrudebantur, quorum aut putrefactorum, aut a volucribus consumtorum, ossa relicta jacebant. Robinson igitur acutissima, et crassissima quaeque ex iis collegit, acuumque loco iis usus est. Quorum auxilio umbellam confecit tanta densitate, ut nullus solis radius eam penetrare posset.

Quoties novum ejusmodi opus ei bene successerat, laetitia efferri solebat. Tunc autem se ipsum sic culpavit: O! me stultum puerum, qui plurimum temporis nihil agendo perdiderim! O! Si nunc in Europa essem, omnemque istam copiam instrumentorum, quae ibi nullo negotio inveniuntur, haberem; quid, quaeso, ego confecturus essem! Quantam vero voluptatem ex eo caperem, quod plurimas res, quibus indigerem, mihi ipse parare scirem!

Cum autem fatis magnum diei spatium superesset, peram sibi conficere constituit, in qua et victum secum portaret, et ea conderet alimenta, quae forte inter eundum invenisset. Qua re aliquamdiu cogitata, feliciter tandem ejus conficiendae rationem invenit. Comparaverat nimirum sibi idoneam funiculorum copiam, e quibus rete nectere instituit, quod in loco perae venatoriae adhibere in animo habebat. Quod quidem ita molitus est! Duas arbores ulnae fere spatio a se invicem remotas elegit, quibus fila plura, quam maxime contigua alligaret. Haec staminis vicem ei praestare debebant. Tum desuper fila eodem modo contigua egit, ita autem, ut iis, quae deorsum tenderent, nodum in quovis filo transverso necteret, more eorum, qui reticula nectunt. Fila ista deorsum extensa subteminis vicem praestabant. Sic ergo rete confecit tenui reti piscatorio non dissimile. Tum extremitates filorum ab arboribus separavit, eaque in parte inferiori, et lateribus clausit, et superiori tantum aperta relicta. Sic igitur idoneam peram venatoriam confecerat, quam ope funiculi crassioris, qui superiori parti alligatus erat, e collo dependentem gestare poterat. Tantam vero laetitiam e felici successu conaminum suorum cepit, ut totam fere noctem insomnis degeret.

Theoph. Hem! ego quoque ejusmodi peram venatoriam mihi paraverim.

Ioh. Ego etiam! Modo funiculos haberemus!

Mat. Si vos eandem voluptatem e labore vestro capere vultis, quam Robinson inde cepit, funiculi quoque isti antea vobis parandi sunt, linum etiam, aut cannabis paranda, e quibus isti confici solent. Cum autem ista in agris nondum maturuerint, equidem vobis funiculos suppeditabo.

THEOPH. Itane facies? carissima mater!

MAT. Lubentissime! Siquidem vos hoc optatis! Agite, funiculos conquiramus.

THEOPH. O praeclare factum!

CAROL. Optime facitis, o boni, quod Robinsonem imitamini! Cum olim vos quoque in aliquam insulam delati fueritis, in qua homines non reperiantur, edocti jam eritis istud artificium! Ain' tu? Pater! — *Pat.* Bene mones, Carolina! Itaque operam date! Robinsoni autem nostro nunc placidam noctis proximae quietem concedamus! — Equidem interea experiar, num ejus artificium conficiendarum umbellarum imitari possim!

VESPERA QUINTA.

Postero die, cum universi loco consueto convenissent, Nicolaus pera venatoria, quam proprio marte confecerat, jactabundus incessit; omnium autem oculi in eum conversi sunt. Umbellae loco, a coqua sibi cribrum petierat, quod baculo impositum super caput gestabat. Magnam vero gravitatem, et dignitatem toto corporis habitu referebat.

MAT. Macte! Nicolae! Egregie fecisti! Parum abest, quin credam te verum esse Robinsonem!

IOH. Equidem peram meam absolvere nondum potui, alioquin eodem habitu in medium prodiissem!

THEOPH.

Theoph. Hoc me quoque impedivit!

Pat. Contenti erimus hoc uno, ex eo enim intelligimus, rem vanam non esse. Umbella autem tua, Nicolae, parum idonea est!

Nicol. Scilicet necessitate coactus talem mihi paraveram, non enim satis spatii supererat ad conficiendam meliorem.

Pat. (dum umbellam a se ipso factam ex arbustis promit) quid tibi videtur te ista, o bone? — *Nicol.* Ah! ista quidem egregia est!

Pat. Eam igitur recondam, donec historia Robinsonis finita erit! Quicunque tunc ex iis rebus, quas Robinson confecerit, plurimas imitari didicerit, noster Robinson esto, umbellamque istam habeto!

Theoph. Num ille quoque tugurium sibi aedificabit? — *Pat.* Sane!

Omn. O praeclare! egregie factum!

Pat. Robinson diei ortum vix expectare poterat, ita solem ipsum praevertit, itinerique se accinxit. Peram, funemque corpori circumdedit, securi autem, gladii loco, cinctus, umbellaque humero imposita, in viam alacriter se contulit.

Primum arborem Cocossam adiit, ut nonnullis nucibus peram instrueret, tum littus quoque revisit, ostrearum colligendarum causa. Cum vero idoneam earum copiam adeptus esset, potumque aquae frigidae e fonte suo hausisset, iter constitutum ingressus est.

Mira coeli matutini serenitas erat. Sol clarissima luce effulgens ex oceano surgere videbatur, arborumque cacumina inaurabat. Innumerabilis avium multitudo, pulcerrimis coloribus ornatarum, matutinam canebant cantilenam, nova luce laetan-

laetantes. Aeris tanta erat puritas, atque salubritas, ut recens a deo creatus videretur; herbae autem, et flores suavissimum odorem exhalabant.

Robinsonis animus gaudii, et pietatis intimo sensu perfunditur. Hic quoque, ait, hic quoque deus se benignissimum praebet! Tum vocem suam avium cantilenis miscens, praeclarum illud carmen matutinum canit:

1.

Acceptam deo referam
Hujus diei vitam;
Dum somno tuto fruerer,
Hanc ille conservavit.

2.

Da, precor, deus animum
tranquillum et benignum,
Qui, quae virtuti debeat,
noscat, et exsequatur.

3.

Quae servum bonum deceant,
Fideliter ut agam,
Ut sapienter, et pie
Per legem tuam vivam.

4.

Ut aliis officia
Opemque sponte feram;
Nec salus me, nec probitas
In aliis offendat.

5.

Ut grato tibi animo
His vitae bonis fruar
Ut simul, ac tu jubeas
Mortem non exhorrescam.

Theoph. Quaeso te, carissime pater! ut mihi hoc carmen litteris mandes. Quotidie illud legam, cum surrexero. — *Pat.* lubentissime!

Amic. R.. Ego vero modos vos docebo, ut ante preces matutinas illud canamus. — *Nicol.* Egregie! Perpulcrum enim carmen est!

Pat. Robinson, qui nondum desierat sibi metuere a bestiis, et feris hominibus, in itineribus suis sylvas, dumetaque curiose vitabat, talia autem loca,

loca, quae oculos nullis limitibus circumscriberent, petere solebat. Illa ipsa vero quam maxime sterilia erant. Quamvis igitur satis longum spatium confecisset, nihil tamem invenerat, quod aliquam utilitatem praestare posset.

Tandem in fruticem quemdam incidit, quem majori cura explorandum existimaret. Manipuli herbarum erant continuati, ita ut, sylvulae instar referrent. Alii flores rubros, et albicantes, alii autem, florum loco, pomula viridia cerasorum magnitudine habebant. Extemplo itaque gustat unum ex iis; sed esculentum non erat. Quod ille indignatus, manipulum, unde istud discerpserat, evulsit, et abjicere constituit." Sed quanta, quaeso, admiratio ejus fuit, cum in radicibus plantae tubera, magnitudine diversa pendere videret. Confestim quoque existimavit, tubera ista plantae istius veros fructus esse; itaque ea curiosius examinare coepit. Sed cum iterum gustasset, nihilo suaviorem saporem invenit. Fructus ille durus, insipidusque erat. Robinson jam in eo erat, ut eum abjiceret. Forte autem, secum reputat, non temere inutilia judicanda esse, quorum usus primo statim aspectu intelligi non possit. Itaque nonnullis tuberibus in peram demissis, processit.

Ioh. Equidem satis scio, quaenam fuerint isti tubera!

Pat. Qualia igitur ea fuisse putas?

Ioh. Tubera Solanorum fuerunt; haec enim iis, quae tu descripsisti, tuberibus simillima sunt.

Dietr. Ista quoque indigenae Americae sunt!

Theoph. Euge! Franciscus Dracke inde in Europam ea invexit. Stultus autem erat Robinson, qui ea non agnosceret!

Pat.

Pat. Unde tu vero ista nosti? — *Theoph.* Ehem! ex eo quod saepius ea viderim, et comederim. Sunt mihi in deliciis.

Pat. Robinson autem tubera ista nunquam neque viderat, neque comederat.

Theoph. Cur vero? — *Pat.* Quoniam tunc temporis in Germania nondum innotuerant. Hos circiter quadraginta annos apud nos in usu sunt; ducenti autem fere anni sunt, ex quo Robinson vixit.

Theoph. Ehem! — *Pat.* Ex eo intelliges, Theophile, iniquos esse arbitros, qui alios temere vituperent. Oportet nos semper rationem habere eorum conditionis, tum vero e nobis quaerere, an prudentiores iis fuissemus! Tu, si nunquam tubera solanorum vidisses, neque eorum apparandorum rationem cognovisses, profecto non statim intellexisses, quomodo iis utendum esset. Itaque animo tuo hoc infige, atque in posterum cave, ne te prudentiorem ceteris temere existimes.

Theoph. Exosculare me! dulcissime pater! Nunquam in posterum hoc committam. — *Pat.* Robinson ex isto loco longius progreditur; lente tamen, magnaque cum circumspectione. Levissimo quoque strepitu arborum, et fruticum vento agitatorum, exterritus securim ad se defendendum corripuit. Semper autem magna cum laetitia animadvertit, timorem vanum fuisse. Tandem ad rivum pervenit, ubi prandere constituit. Igitur sub arbore alta et umbrosa consedit, magnaque cum voluptate epulari coepit. — Subito autem strepitu quodam longinquo, vehementer exterritus est. Timidus itaque circumspexit, tandemque gregem magnum vidit. —

Nicol.

Nicol. Hominum scilicet ferorum! — *Theoph.* Aut leonum, tigriumve! *Pat.* Neutrorum quidem gregem potius, bestiarum capreis nostris similium, nisi quod collum longius camelorum instar haberent. Capite equuleorum formam referunt; ovibus paullulum majores. Quarum bestiarum indolem, et nomen, si cognoscere vultis, equidem vobis exponam.

Ioh. Magnopere cupiam! —

Pat. *Lamae* appellantur, Guanacones etiam, aut, ovicameli! Patria earum ista Americae regio est, (dum chartam demonstrat.) quam Hispani tenent, quaeque Perua dicitur. Propterea quoque oves peruvanae dici solent, licet praeter lanam nihil cum ovibus commune habeant. Hic ergo Americani, antequam terrae eorum ab Europaeis detectae essent, animal istud mansuefecerant, eoque, asellorum instar, ad onera portanda usi sunt. E lana ejus autem vestes conficere didicerant.

Ioh. Peruani isti sane ceteros Americae incolas humanitate superasse videntur.

Pat. Quam maxime! Ii enim, quemadmodum Mexicani Americae septentrionalis incolae in domibus habitabant, templa magnifica aedificaverant, atque regio imperio utebantur.

Theoph. Nonne, haec eadem regio est, unde Hispani istam auri, argentique vim petunt, quam quotannis classe argentaria ex America deportant, sicuti tu olim nobis narrasti?

Pat. Illam ipsam vides! — Robinson, cum animalia ista, quae a nobis quoque in posterum *Lamae* dicentur, appropinquare vidisset, magnopere concupivit carne assa vesci, qua tam diu caruerat. Itaque optavit ejusmodi animal interficere.

Hoc

hoc consilio securi instructus post arborem constitit, sperans fore, ut Lamas transeuntes illa attingeret. Quod ei bene successit. Quippe bestiae istae securae, quas nemo unquam persecutus esset, sine omni timore arborem, post quam Robinson latebat, transeunt, aquae petendae causa. Cum autem unus e pullis earum satis appropinquasset Robinsoni, securi tantopere cervicem ejus percussit, ut extemplo moribundus procideret.

Carol. Ei! hominem crudelem! qui misellam istam interficere potuerit!

Mat. Cur autem eum crudelem vocas? *Carol.* Misellum istud animal eum minime offenderat. Nonne igitur ei vitam servare debebat?

Mat. Indiguit autem ejus carne, ut ea vesceretur, oblitane es, deum nobis permisisse animalibus sapienter uti?

Pat. Crudeliter sane, et impium factum esset, si quis temere animalia interficeret, aut excruciaret, aut certe vexaret; neque quisquam bonus hoc facile committet. Attamen iis sapienter uti, jugulare ea, carnis edendae causa, nobis omnino licet. Nonne meministis me olim vos docere, hanc ipsam nostram animalibus utendi rationem iis conducere?

Ioh. Euge! Siquidem nos ex animalibus nullam utilitatem caperemus, nullam quoque eorum curam habituri essemus; tum autem conditio eorum longe miserior foret, permulta quoque frigore, et fame perirent.

Dieter. Majores etiam dolores passura essent, nisi a nobis jugularentur, sed potius senio confecti, aut morbis perirent. Etenim tanta sibi invicem auxilia praestare non possunt, quanta homines solent.

Pat.

Pat. Neque vero existimare debemus, mortem, quam animalia a nobis subeant, tantis ea doloribus excruciare, quantos nobis pati videntur. Non enim praesciunt mortem suam, laete potius, atque tranquille degunt, usque ad extremum vitae momentum; sensus autem doloris, quo inter mactandum afficiuntur, brevi evanescit. Nunc demum pullo lamae mactato Robinsoni in mentem venit deliberare, qua tandem ratione ejus carnem sibi appararet? — *Carol.* Hem! poteratne istam coquere, aut assare?

Pat. Hoc ille quidem lubenter fecisset, omnibus autem rebus huic consilio necessariis penitus carebat. Neque ollam, neque veru habuit; neque vero, quod pejus erat, — ignem!

Carol. Ne ignem quidem? nonne eum accendere potuit?

Pat. Potuisset sane! modo silicem ignivomam, funiculosque sulphuratos habuisset! His omnibus autem penitus carebat.

Ioh. Equidem optime scio, quomodo mihi consuluissem!

Pat. Quo tandem modo? — *Joh.* Ligna duo sicca trivissem, donec incensa fuissent. Memini enim, nos olim in itinerario quodam legere, feros homines hac ratione uti.

Pat. Istam ipsam rationem Robinson noster adhibuit! Itaque lamam trucidatam, atque in humeros sublatam in habitaculum secum transportavit. Quo rediens invenit aliquid, quod ipsum magna laetitia afficeret. Nactus nimirum est sex, aut octo malos citreas, sub quibus nonnullos adeo fructus maturos deprehendit. Quibus curiose collectis, locoque istarum arborum notato, hilari

 ani-

animo ad domum suam se recepit. Ibi autem ante omnia lamam excoriare instituit. Lapidis quoque acuti ope, quo cultri vice utebatur, hoc ei feliciter successit. Pellem detractam, quoad ejus fieri posset, ad solem expandit; magnam inde spe-rans utilitatem.

Nicol. Quamnam vero? — *Pat.* Variam sane — Primum enim calcei, et tibialia longo usu attrita erant. Constituit ergo, ubi calcei defecissent, soccos e pelle ita conficere, quos pedibus subligaret, ne plane nudus incederet. Sollicitus quoque de hieme appropinquante, magnopere laetatus est, quod nunc idoneum tegumentum nactus esset, cujus ope contra frigoris vehementiam defenderetur. Qua quidem sollicitudine facile supersedere potuisset, quia in istis regionibus hiemis frigora nulla sunt.

Theoph. Cur vero nulla hiemis frigora?

Pat. Nonne meministis, me nuper vobis exponere, in torridis istis terrae tractibus, qui tropicis circumscribuntur, nulla hiemis frigora esse. Sed istae regiones potius per duos menses continuos pluvia irrigantur. — Hoc autem ignorabat Robinson noster, quippe qui puer idonea institutione non usus fuisset.

Ioh. Ni autem fallor, pater, legimus olim, altum illum montem cacuminatum Teneriffae, Cordillerosque Peruanos semper nive obrutos esse! Ibi perpetua quidem hiems esse debet; isti autem montes nonne tropicis circulis quoque subjacent?

Pat. Recte judicas! Iohannes! Regionum scilicet excelsarum, et montosarum ratio ita comparata non est. Etenim in cacuminibus montium

tam

tam altorum perennis nix esse solet. Nonne meministi earum Indiae orientalis regionum, de quibus nuper vobis narravi, cum iter Geographicum eo fecissemus?

Ioh. Scilicet nonnullis in locis istarum regionum aestatem ab hieme vix duorum milliarium intervallo secretam esse. In insula Ceylonia, quae Batavorum est, et vero etiam — non satis accurate teneo!

Pat. In peninsula anteriori. Eodem enim tempore, quo cis montes Gatenses, in ora nempe Malabarica, hiems est, trans istos montes, in ora Coromandel aestas esse solet, et sic vice versa. Eadem esse dicitur conditio insulae Zeram, quae ex insulis Moluccis est. Ibi enim tribus circiter milliaribus confectis aestatem cum hieme aliquis commutare potest.

Sed iterum longe a Robinsone nostro aberravimus! En! admirandam profecto mentis humanae indolem, quippe quae uno quasi saltu subito in loca remotissima se conferre possit! Ex America in Asiam transvolavimus, puncto temporis autem, advertite, quaeso! in Americam ad amicum nostrum Robinsonem reversi erimus.

Pelle igitur detracta, extis sublatis, atque postica parte, quam assaret, dissecta, protinus veru intentus fuit. Eo consilio arborem tenuem et lentam detruncat, eamque cortice detracto praeacuit. Tum ramos duos, qui furcae instar habebant, deligit, veru fulciendo idoneos. Quos etiam praeacutos redditos, in terram ex adverso defigit, tum carnem in veru egit, furcaeque imposuit, magnopere laetatus, cum vidisset, quam apte illud versaretur.

Jam praeter ignem nihil Robinsoni defuit. Sed hoc ipso quam maxime opus erat. Quem ut terendo accenderet, e trunco arido duo ligni fragmenta amputavit, confestimque operi se accinxit. Tantopere autem terendo laboravit, ut magnae sudoris guttae e facie destillarent; nihilominus tamen spes optata eum fefellit. Quoties enim ligna calore fumabant, toties ipse tantopere defatigatus erat, ut aliquantulum temporis a labore cessandum esset, virium reficiendarum causa. Interim ligna refrigescunt, laboremque irritum reddunt.

Tum ille non sine magna molestia iterum expertus est inopiam vitae in solitudine degendae, quantaque aliorum hominum societas emolumenta nobis praestet. Etenim si vel unum habuisset socium, qui, dum ipsum vires deficerent, terendo continuasset, sine dubio ligna incensa fuissent. Sed istam spem ei solitudo eripuit.

Joh. Ego vero existimo, feros homines terendo ignem accendere?

Pat. Accendunt illi quidem; hoc autem eo fit, quod isti longe robustiores nobis sint, quos in Europa nimis molles, et infirmos reddere solet institutio puerilis. Accedit, quod illi melius intelligant, quomodo hoc negotium tractandum sit. — Duo enim ligna diversae indolis adhibent, mollius alterum, alterum durius; hoc vero quam rapidissime in illo terunt, donec incendatur. Aut etiam in altero foramen faciunt, in quo tanta cum velocitate alterum assidue torquent, ut accendatur. Quod Robinsonem cum fugeret, feliciter res ei non successit. Tandem moerore oppressus ligna ista abjecit, atque in strato consedit; tum capite demisso suspirans carnem dilectam intuetur,

quam

quam nunc comedere non debebat. Cum autem hiemis instantis cogitatio mentem ejus subiisset, illeque secum reputasset, qua tandem ratione illam sine igne acturus esset, angore tam vehementi oppressus est, ut e solo se proriperet, animique reficiendi causa, aliquantulum circumiret. Qua quidem animi perturbatione cum Robinsonis sanguis vehementer aestuaret, ad fontem se contulit, aquam frigidam in putamine Cocossae inde hausturus. Succo quoque malorum citreorum admisto potum satis suavem, et recreandis viribus idoneum sibi paravit.

Attamen carnis assae desiderium nondum deposuerat noster, tandem vero Tartarorum recordatus est, qui, cum tamen nostrum similes sint, carnem, quam comedere cupiant, ephippiis subjicere, atque emollire dicuntur. Itaque sine mora constituit eorum rationem imitari. Scilicet duos lapides satis largos, et laeves quaerit, ejus similes, quo securis loco utebatur. Tum idonea carnis portione ossium experte iis interposita, superiorem lapidem tudicula perpetuo tundit. Quod cum aliquamdiu fecisset, lapis incalescere coepit. Eo majori alacritate ille tundere pergit, caro autem hora dimidia tantum non elapsa cum lapidis fervore, tum continuatis ictibus adeo emollita est, ut satis esculenta esset. Non illa quidem eam saporis suavitatem habebat, quam caro rite assata habere solet; attamen Robinsoni nostro, qui tam diu carne assa caruerat, lautas dapes praebuit. — O! qui vel optimos cibos fastidire soletis, siquidem palato vestro luxurianti minus respondeant, delicatuli populares mei! tum exclamat, utinam vel octo dies mea conditione uteremini, in posterum profecto quolibet divinae benignitatis munere vobis oblato contenti frueremini! Neque vero etiam

committeretis; ut ullius unquam tibi salubris fastidio ingratum erga almam dei optimi maximi providentiam animum profiteremini!

Quo autem carnis saporem jucundiorem redderet, succo malorum citreorum Robinson eam infecit; tum epulis quam lautissimis fruitur. Neque vero oblitus est gratiarum datori omnium bonorum pro recenti isto beneficio pie agendarum. Prandio confecto deliberavit, quodnam opus nunc maxime sibi faciendum esset? Hiemis instantis expectatio, quae nuper animum ejus vehementer turbaverat, eum impulit, ut nonnullos dies continuos lamis capiendis, et trucidandis impendere constitueret, quarum pellibus contra frigus defenderetur. Quae cum satis mansuetae viderentur, facili negotio voti se compotem fore speravit. Hac spe concepta ad lectum se contulit, somno autem suavissimo recreatus anteacti diei molestiarum oblivionem duxit.

VESPERA SEXTA.

(Pater narrare pergit)

Robinson hac quidem vice in multum diem dormivit. Cum tandem expergefactus esset, diemque jam multum processisse animadverteret, celeriter e somno se corripientem, ut ad lamas venandas proficisceretur coeli tempestas impedivit. Cum enim

enim vix caput e spelunca protendisset, repente illud retrahendum fuit.

CAROL. Qua vero de causa?

PAT. Imber scilicet tam vehemens de coelo ruebat, ut nulla spes prodeundi superesset. Itaque expectare constituit, donec tempestas desiisset. Quod autem secus evenit; imbris potius violentia aucta est. Fulgura quoque subinde micant, ut tota spelunca ardere videretur. Tum tonitru horrendum insequitur; fragore terribili terra contremiscit, montes sonitum multiplicem reddunt. Robinson, cum idonea institutione usus non esset, timorem vanum et anilem tempestatum conceperat.

THEOPH. Fulgurane ille, ut forte tonitrua extimuit?

PAT. Tantopere ille quidem, aut angore prope exanimatus esset.

THEOPH. Hem! Magnificum sane spectaculum est! Cur vero hoc extimuit?

PAT. Cur ille hoc fecerit, equidem nescio! Forte propterea timuit, quod fulgura interdum incendia edunt, adeo homines interimunt. —

IOH. Raro autem ista eveniunt! Equidem satis longum temporis spatium memoria repetere possum, neque tamen quemquam vidi, fulgure interemtum.

THEOPH. Quid? quod istud mortis genus optabile etiam est. Quam velocissime enim homines fulmine icti ex hac vita auferuntur; quo facto ad deum propius accedunt.

DIETER. Mira autem aeris temperies tempestates sequi solet. Nempe refrigeratur ille, cum

 antea

antea fuit fervidissimus; jucundissimum etiam spectaculum fulgura ex atris nubibus emicantia praebent!

Carol. Ego quoque illo admodum delector! Quaeso te, dulcissime pater, ut cum tempestas denuo coorta fuerit, nos in apertum campum producas!

Pat. Lubenter equidem! — Robinson in pueritia, prout dixi, male institutus ignorabat magnitudinem beneficii divini, quod nobis tempestates praestare solent. Nimirum aerem puriorem reddunt, arborum, et frugum incrementa augent, homines vero bestiasque quam jucundissime recreant. —

Iam ille quidem in angulo speluncae junctis manibus sedens terrore fere exanimatus est. Interim imber strepit, fulgura coruscant, tonitruum fragor continuatur. Hora meridiana appropinquante, neque tempestatis furor desierat. Non ille quidem esuriebat; quippe cui omnem famem angor exemerat. Tanto magis autem ejus animus diris cogitationibus excruciabatur. Venit sane dies, secum reputavit, in qua divinae mihi luendae sunt poenae! Deus non diutius paterna caritate mei tuebitur; pereundum mihi est, parentes miseros nunquam revisam.

Amic. R... — Equidem hanc Robinsonis rationem minime probo!

Nicol. Quam ob rem eam non probas?

Amic. R... — Rogas etiam? Nonne deus optimus maximus, eum tantis jam adfecerat beneficiis, ut vel propria experientia edoctus scire potuisset, deum nemini deesse, qui quidem ex animo ei confidat, atque animum emendare serio studeat? Nonne ex ancipiti vitae periculo eum eripuerat? Nonne

Nonne a fame, atque inedia eum defenderat? — Ille autem nihilominus animum abjicit! Ehem! indignum facinus!

MAT. Ego quoque tibi valde assentior! Optime R . . . — Oportet autem nos misereri infelicis istius hominis! Non ita pridem ad meliorem frugem redierat, neque igitur eundem virtutis gradum jam attingere potuit, ac ii, qui a tenera juventute ea imbuti sint.

PAT. Recte sentis, carissima conjux! Cedo manum tuam! En! Tibi quoque osculum meum, quod animum tam misericordem erga Robinsonem meum humaniter professa sis! Equidem jam dudum eum amore complector, quoniam eum ad virtutis viam redire video!

Interim, dum ille angore, et curis oppressus sedet, tempestas furere desinit. Tonitrubus etiam, pluviaque cessante spes in Robinsonis animum redire incipit. Iam igitur in viam se conferre statuit; cum autem in eo esset, ut peram venatoriam, securimque arriperet, subito — quid quaeso, putatis? attonitus in terram procidit!

IOH. Quid tandem ei accidit?

PAT. Rrrrrr! Puf! Supra caput ejus crepuit! Terra contremiscit, Robinson exanimis prosternitur! Nimirum arbor speluncae imminens fulmine icta, atque tanto cum fragore disrupta est, ut Robinson attonitus, se ipsum interemtum putaret. Diu etiam sensu plano orbatus jacuit. Tandem cum intellexisset se adhuc vivere, e solo se erexit, statim vero ante ostium speluncae arboris a fulmine disruptae, atque prostratae partem conspexit. Heu! Novum infortunium! Ubi enim scalam suam alligaturus erat, siquidem

tota arbor, sicut ille censebat, fulmine diruta esset?

Interim pluvia tonitrubusque cessantibus ausus tamen est e spelunca prodire. Quid autem tum eum conspexisse putatis? Rem scilicet ejusmodi cujus aspectu animus ejus cum pietate erga deum tum pudore ob priorem desperationem perfunderetur. Etenim truncus arboris fulmine ictae totus incendio correptus erat. Nactus itaque erat rem maxime necessariam, divina vero providentia eo ipso tempore, quo se ab ea penitus neglectum putabat, ejus summam curam gesserat.

Rat. Admirandum sane consilium, quod illud ipsum, quo Robinson se maxime afflictum putavit, in summam ejus utilitatem cesserit. Est ea autem perpetua divinae providentiae ratio, ut magna cum sapientia, atque benignitate vel in malis permittendis versetur.

Pat. Eodem modo nobiscum illa agit, ac equidem nuper cum verme quodam egi? — Quo tandem, quaeso? Pat. Ligna forte diffindens, dum securi ictum meditor, vermem conspicio in ea ipsa rima latentem, quam percutere meditabar. Cur tu vero, mecum reputavi, istum misellum temere interficias? eumque tanta cum vehementia afflavi, ut quasi turbine sublatus vel trium passuum spatio abriperetur. Tum cogito ineptulum istum super conditione sua egregie disputantem: „Quanta quaeso crudelitate fuerit animal istud bipes! Cur enim turbinem tam saevum excitavit, quo ego ex aedibus meis violenter proturbarer? Quantam autem utilitatem inde ceperit crudelis iste? Profecto credo, eum saltibus meis delectari voluisse!„ — Ejusmodi fere ratiocinia ineptuli istius fuerint, siquidem animalia ratione praedita sint; neque sane ei

in

in mentem venerit, me sola benignitate ductum ita cum eo egisse. Nihilominus autem sic se res habuit! — Recordemur igitur, o mei! vermis istius, quoties divini numinis consilia aeque imprudenti, ac ingrato animo aestimare conabimur, cum tamen eorum rationem non acutius intelligamus, quam vermis iste meum intelligere potuit consilium.

Robinson summa cum animi commotione lacrimisque laetitiae, et pietatis testibus perfusus, benignissimo omnium rerum moderatori, cujus consilia vel in calamitatibus permittendis nunquam non sapientissima sunt, gratias supplices egit: O mortalem arrogantem! tum exclamavit, quicunque indignari audeat divinorum consiliorum rationem, cum in illis intelligendis tantopere caecutiat!

Iam noster igne potitus erat sine ulla molestia, neque vero difficile videbatur eum conservare, nec amplius causa suberat, cur ille magnopere de futura sua ipsius conservatione in deserta hac insula sollicitus esset. A venatione hodie quidem se abstinuit Robinson, quoniam statim utilitatem ex igne acquisito capere, carnemque veru adhuc affixam apparare ejus ope constituerat.

Cum vero inferior pars trunci adusti, cui scala Robinsonis alligata erat, incolumis mansisset, tuto eam conscendere licebat. Quo facto titione arrepto in atrium habitaculi sepe cinctum descendit, igne autem laeto ibi ante ostium, accenso, ad truncum flagrantem reversus, incendium ejus extinxit. Quod quidem cito perfectum est. Tum calonis munere fungens ignem nutrit, offamque sedulo versat. Aspectu flammarum mirifice laetatus, atque commotus est Robinsonis animus. Carissimum enim divini numinis munus ignem e coelo sibi demissum

missum interpretatus, saepius oculis in coelum sublatis pro isto beneficio gratias egit, permagnam utilitatem, inde capiendam cogitans. Quoties post haec ignem conspexit, aut ejus meminit, cogitare solebat: „Hunc quoque mihi deus prospexit.“

Amic. B. — Non mirum est; homines quosdam nulla doctrina imbutos ignem, cum sit animantium omnium conservator, deum ipsum putasse.

Ioh. An hac sententia nonnulli fuerunt?

Amic. B. — Fuerunt sane! — Nos autem felices nos praedicemus, quod melius instituti simus, atque intelligamus, ignem non deum ipsum, sed aquae, terrae, et aeris instar, dei beneficio in utilitatem humani generis esse creatum.

Pat. Hesterna coena Robinson in sapore carnis emollitae salem desideraverat. Speravit autem tempore procedente ejus quoque copiam in insula sua se inventurum. Nunc ergo ad littus maris se contulit ad Cocossae putamen aqua replendum. Quae quidem cum carnem irrigasset idoneo sale ista infecta est. Iam caro satis assata videbatur; quantam vero conceperit laetitiam, cum primum eius bolum manducaret, is tandem satis animo concipere potest, qui per quatuor hebdomades continuas nihil ciborum rite praeparatorum comederit; omnemque iis vescendi spem penitus abjecerit. Nunc autem magnopere sollicitus esse coepit, de igne conservando, atque nutriendo?

Theoph. Hoc illi quidem proclive erat. Nihil enim aliud opus erat, nisi, ut ligna continuo igni subjicerentur.

Pat. Egregia narras. Quid, quaeso, autem si quando ipso dormiente pluvia repentina noctu ingruisset?

Ca-

Carol. Equidem, pater, in spelunca mea ignem accendissem, quo pluvia penetrare non potuisset.

Pat. Non contemnendum sane consilium! Spelunca autem tam arcta erat, ut vix cubili idoneo sufficeret; caruit illa quoque fumario, neque igitur a fumo tutus in ea degere poterat Robinson.

Carol. Hem! rebus sic comparatis, non habeo, quomodo ei consulam!

Ioh. Miserandam profecto hominis conditionem narras! Credideram equidem nunc eum satis beatum esse! Ehem vero! subinde novis molestiis, et obstaculis ille implicatur!

Pat. Animadvertite igitur, quantis difficultatibus ii homines premi soleant, qui quidem inopiae suae soli satisfacere velint; quanta vero sint societatis humanae emolumenta. O mei liberi! miseri sane homunciones nos essemus, si unumquemque nostrum oporteret vitam agere solitariam, atque aliorum auxilio plane carentem. Mille profecto manus non sufficiunt iis rebus comparandis, quibus unusquisque nostrum quotidie indiget!

Ioh. Ehem! pater! —

Pat. Dubitas etiam, carissime Iohannes? Age! dispiciamus singula, quae tu hodie comedisti, et quibus tu usus es! Primum enim usque ad solis ortum dormivisti, et quidem in lecto satis commodo, nonne?

Iohan. In culcita scilicet.

Pat. Bene mones! — Culcitae autem equinis crinibus refertae sunt. Isti binis manibus resecti, binis ponderati, et venditi, binis compacti, et transmissi, binis accepti, et evoluti, binis tandem

ephip-

ephippiario et aulaeorum opifici venditi fuerant. Ephippiarii manus crines implicatos explicuerunt, et iis culcitam referserunt. Indumentum culcitae linteo striato factum est; unde autem illud sumsimus?

Ioh. Istud textor confecit!

Pat. Quibus illi vero rebus ad linteum conficiendum opus fuit?

Ioh. Sella scilicet textoria, filo, trochlea, maltha. —

Pat. Abunde est! Quot vero manus putas in conficienda sella textoria occupatas fuisse! viginti ad minimum — Maltha conficitur farina. Quam multa negotia facienda sunt, antequam farina confecta sit! Quot autem manus adhibendae, ut mola molendae farinae idonea conficiatur! Textori imprimis filo opus est; unde vero illud petit?

Ioh. Fila trahuntur a netricibus.

Pat. Quanam vero e materia? *Ioh.* E lino!

Pat. Meministine vero, quam multas manus illud subire soleat, antequam filis trahendis aptum sit?

Ioh. Ehem! Nuper admodum hoc supputavimus! Primum agricolam oportet cibrare lini semina, ne loliis corrumpantur; tum agros fimo obducere, atque bis arare. Tum semina serere, et occare. Cum lina satis creverunt, magna foeminarum copia se accingit ad ea purganda. Ubi vero idoneam magnitudinem nacta sunt, caules evelluntur, qui tum pectini subjiciuntur ad globulos seminiferos decutiendos.

Nicol. Euge! Caules postea in fasciculos colligati aquae committuntur!

Diet. Postquam autem satis macerati sunt, inde extrahuntur —

Theoph.

Theoph. Deinde ad solem explicantur, ut arefiant.

Frid. Tum lina franguntur in frangibulo.

Carol. Minime, pace tua, Fridericule! Antea quassantur, ain' tu? pater!

Frid. Ehem! Hoc facto tandem franguntur!

Ioh. Tum carminantur in carmine, acutissimis aculeis instructo, ut stupa liberentur.

Pat. Nunc, quaeso, colligite singula ista, quibus opus est ad lintea demum conficienda! Cogitate quoque, quantus labor impendi debeat, conficiendis instrumentis, quibus agricolis; linorum praeparatricibus, atque netricibus opus est! Tum profecto mihi concedetis, ad conficiendam istam unicam culcitam in qua tam placide quiescere soletis, supra mille manuum operam requiri.

Theoph. Mirabilia narras! Mille manus!

Pat. Nunc porro recordemini, quam multis aliis rebus vos quotidie indigeatis! Intelligetis profecto Robinsonem nostrum saepius inopia laborare debuisse, cum nulla manus praeter suas ipsius ejus causa occupata fuerit, ille vero omnibus istis instrumentis, quae opera nostra tam expedita reddunt, penitus caruerit? —

Iam itaque Robinson vehementer sollicitus fuit de igne conservando. Nunc ille frontem fricat, quasi callidum inventum inde expressurus, nunc manibus complicatis, gressuque citato in atrio habitaculi ambulat, diuque consilii inops haeret. Tandem oculos forte in parietem saxi conjicit, statimque consilii rationem invenit.

Dietr. Quodnam vero consilium cepit?

Pat.

Pat. Lapis permagnus, et crassus e pariete, ulnae fere altitudine, super terram prominebat.

Frid. Quantus autem ille fuerit?

Pat. Iustam ejus delineationem equidem invenire non potui; arbitror autem eum longitudinem meam aequasse. Latitudo, et crassitudo ejus ulnam fere excedebat.

Etsi ergo imber violentus fuerat, tamen locus lapide isto ingenti tectus nihilo plus madefactus erat, ac si tecto munitus fuisset. Inde Robinson statim intellexit eum idonei foci usum egregie praestiturum; plura etiam vidit. Scilicet locum istum facili negotio instar verae culinae aptari posse, foco atque fumario rite instructae intelligens, illico operi se accinxit. Terram nimirum lapidi suppositam ad ulnae fere altitudinem spatha effodit. Tum utrumque latus usque ad lapidem istum largum muro cingere statuit. — *Theoph.* Quomodo autem murum exstruere potuerat?

Pat. Dudum ille omnia sedulo observare consueverat, atque de omnibus rebus fortuito sibi oblatis deliberare, cuinam usui inservire possent. Terram igitur quandam argillaceam in insula sua alicubi repertam non neglexerat, ratus eam lateribus coquendis, muroque exstruendo idoneam fore. Iam ejus opportune recordatus est; culina ergo fere absoluta, spatha, cultroque lapideo instructus, in eum locum se contulit, ubi argillam istam invenerat, ut statim manum operi admoveret. Terra quoque pluviae abundantia adeo emollita erat, ut sine ulla molestia effoderetur, inque lateres quadratos formeta cultro satis commode laevigaretur. Idoneam eorum copiam brevi conficit, eosque ita disponit, ut continuo sole ure-

ren-

rentur. Quo quidem in labore postero die pergere cum decrevisset, domum reversus est, ad carnis assae reliquias comedendas; labor enim assiduus magnum cibi desiderium ei excitaverat. Ut autem diem tam laetum regiis epulis celebraret, genio suo unam e reliquis nucibus Cocossae indulsit.

Epulae lautissimae fuerunt! — Eheu! Robinson ingemuit animo hilari quidem, sed moesto etiam — eheu! quam me nunc felicem praedicarem, si vel unius amici, vel unius hominis etsi pauperrimi mihi contingeret societas, cui amorem meum significare, mutuamque inde caritatem sperare possem. unum modo animal mansuetum, canem, aut felem habeam, cujus caritatem beneficiis conferendis mihi acquiram! Nunc autem me prorsus solitarium, atque ab omni animantium commercio remotum video! — Hic lacrimae moerentis genas irrigaverunt!

Tunc eorum temporum recordatus est, quibus saepius cum fratribus, ceterisque aequalibus suis dissidia, atque jurgia iniisset; quorum jam magnopere eum poenituit. Eheu! secum reputavit, equidem tunc temporis parum intellexi, quanti amicus ingenuus aestimandus sit, quantumque aliorum hominum caritas conferat ad bene, beateque vivendum! O si jam mihi liceret in pristinam redire juventutem, quanto equidem amore, facilitate, ac indulgentia fratres meos, aeque ac alios pueros complexurus essem! O quam lubenter leves eorum injurias paterer, omnesque homines caritate et humanitate ad me amandum compellerem! Adeone me laevum fuisse, ut amicitiae pretium recte aestimare non ante didicerim, quam ejus unquam fruendae omnem spem penitus amiserim!

Has inter querelas oculis forte in ostium tugurii conjectis araneam animadvertit, quae telam suam in angu-

angulo quodam extenderat. Tantopere autem de ſocietate animantis qualiscunque laetatus eſt, ut, quale tandem illud eſſet, parum ei referret. Decrevit itaque araneae ſuae muſcas quotidie capere, ut ei locum tutum, atque amicum ſignificaret, eamque, ſi fieri poſſet, tandem manſuefaceret.

Cum magna pars diei adhuc ſupereſſet, aer autem tempeſtate refrigeratus mirifice Robinſonem recrearet, nondum ille ad lectum ſe conferre ſtatuit. Ne autem tempus inutiliter tereret, ſpatha ſua iterum arrepta terram in culina effodere perrexit. Subito autem in maſſam quandam impegit, cujus durities tanta erat, ut ſpatha fere in ea rumperetur. Initio putavit lapidem eſſe; quanta vero ejus admiratio fuit, cum maſſam ſublatam animadvertiſſet ſolido auro conſtare!

Theoph. Hui! nunc Robinſonem egregie beatum puto!

Pat. Egregie ſane! Auri moles nimirum tanta erat, ut vel centum millibus thalerorum cudendis ſufficeret! Iam igitur ditiſſimus eſt; quot enim, quaeſo, quantasque res eo ſibi parare poteſt! Domum magnificam, carpenta, equos, ſervos, curſores, ſimias et cercopithecos inde coemere licet —

Theoph. Unde autem illa in inſula ſua petiturus eſt? Nemo enim ibi eſt, qui talia vendat!

Pat. Ehem! Hoc equidem non intellexeram! — Robinſoni autem ſtatim hoc in mentem venit. Tantum enim abfuit, ut theſauro invento laetaretur, ut eum potius pede protruderet, dicens; „apage! Futilis res, quam ceteri mortales tantopere concupiſcere ſolent! Quem enim vero mihi tu praeſtabis uſum? Utinam potius mediocrem ferri maſſam inveniſſem, unde ſecurim forte, aut cultrum mihi

pa-

parassem! Lubenter equidem te commutarem cum aliquot clavis ferreis, aut cum ejusmodi instrumento idoneo!" Sic igitur pretiosum illum thesaurum magno cum contemtu neglexit, neque postea praeteriens unquam aspexit.

Carol. Eho! pater, Robinson gallum illum imitatur! —

Pat. Quemnam gallum?

Carol. Nonne meministi fabulae cujusdam, quam tu olim nobis narrasti? Fuit quondam gallus — ? *Pat.* Quid tum?

Carol. Qui, dum in stercore radit, invenit — quomodo tandem vocant? *Pat.* Unionem forte? *Carol.* Unionem sane! Tum ille ait: quid tu me juvabis, licet splendeas? utinam potius granum hordei invenissem! Tum unionem neglexit! —

Pat. Prudenter ille quidem; eodem modo Robinson auri massam sprevit.

Iam nox appropinquabat. Sol jam diu in oceanum descenderat —

Theoph. In oceanum?

Pat. Sic nempe illis videtur, qui in insula, aut in ejusmodi terra continenti habitant, quam versus occidentem mare alluat. Istis quidem sol occidens in mare descendere videtur; propterea interdum ita loqui solemus, quasi vere istud eveniat.

In opposita coeli regione alma luna oriebatur, radiisque tam gratis Robinsonis speluncam illustrabat, ut prae voluptate inde concepta diu obdormiscere non posset.

Carol. En vero, dulcissime pater, nostram quoque lunam commodum orientem!

Ioh. Ehem! magnificum nobis sane praebet spectaculum!

Frid. Cur vero pater caput nudavit? — *Joh.* (submissa voce) Taceas velim, Friderice! precari eum puto! —

Frid. Cur tandem hoc facit? *Joh.* (subm. voce) Deo optimo maximo gratias agere videtur, quod pulcram illam lunam creaverit. (Tum omnes aliquámdiu siluerunt)

Pat. Iam, o mei, Robinson noster obdormivit! Ignis nonnullis lignis subjectis lente nutritur. Vos autem, quid interea faciendum putatis?

Nicol. Nonne in umbraculum nostrum nos conferemus, antequam cubitum eamus? *Theoph.* Sane quidem, in umbraculum concedamus!

Pat. Agite ergo, o mei, creatori nostro imminente luna pias pro hodierno die feliciter exacto gratias canamus! (Tum omnes laeti in umbraculum concedunt.)

VESPERA SEPTIMA.

Proximo vespere Iohannes cum Nicolao, et Theophilo patrem brachio et veste prehensum foras protrahunt. Ceteri quoque clamore illorum in auxilium acciti accurrunt, eumque universi violenter abducunt.

Pat. Quo tandem me protrahetis, homines violenti?

Ioh

Ioh. Hui! in locum gramine confitum, sub malum istam!

Pat. Quid autem ibi faciam? —

Nicol. De Robinsone narrabis! amabo te, pater!

Theoph. Euge! dulcissime patercule! de Robinsone nostro!

Pat. Laudo quidem studium vestrum, vereor autem, ne vos taedeat Robinsonis mei! —

Ioh. Quis tandem hanc suspicionem tibi injecit!

Pat. Nemo sane! Ni autem fallor, vespera hesterna nonnullos vestrum oscitare animadverti, quod quidem taedii signum esse solet.

Theoph. Minime, pater! Fessi potius fuimus labore; si quis enim a prandio usque ad coenam in horto opus fecerit, ei sane licet paullulum dormiturire.

Nicol. Hodie nihil nisi malas herbas evulsimus, lactucamque irrigavimus, itaque satis alacres adhuc sumus!

Carol. Quam maxime alacres sumus; ecce modo me exsultantem!

Pat. Si igitur cupitis, equidem ita faciam. Monebitis autem me narrantem, simul ac satietas audiendi vos occupaverit. — *Joh.* Euge! pergas velim!

Pat. Robinson, cum solis aestus in insula ejus interdiu vehementissimus esset, inprimis tempus matutinum ac vespertinum operibus conficiendis impendere prudenter solebat. Itaque vel ante solis ortum surrexit, lignisque recentibus igni subjectis dimidiam nucem Cocossae, quae de hesternis epulis ei reliqua erat, consumsit. Quo facto, cum aliam lamae portionem veru affigere vellet, carnem jam foetere propter caloris vehementiam sensit.

Carnis ergo desiderium hodie penitus ei deponendum erat. Dum autem ad locum eum, in quo argillam invenerat se conferre instituit, peraque venatoria humeros cingit, tubera solanorum, quae heri nullo consilio secum deportaverat, in ea invenit. Experimentum igitur in eis assandis facere decrevit, iisque cineri candenti apud ignem commissis profectus est.

Opus autem tam sedulo fecit, ut vel ante meridiem tantam laterum copiam confecisset, quantam muro culinae circumdando suffecturam putaret. Tum littus adiit ostrearum colligendarum causa. Ibi pro ostreis, quarum mira paucitas erat, aliud alimenti genus invenit, quod utilitate istas etiam superaret.

Ioh. Quidnam autem invenit? *Pat.* Animal scilicet, quod ipse quidem antea non gustaverat, cujus autem carnem ut jucundam eandemque salubrem praedicantes alios saepe audiverat. —

Ioh. Quodnam tandem illud fuerit? *Pat.* Testudo nimirum tanta magnitudine, quanta in regionibus nostris invenire non solent. Librarum fere centum pondo fuerit!

Theoph. Monstrum testudinis narras, pater! An vero tales reperiuntur?

Ioh. Majores etiam! Nonne meministi earum, quas a navigantibus Oceanum australem, dum orbem terrae circumvecti sunt, captas esse, ex itinerario hominum istorum pater nobis nuper praelegit. Istae quidem plus ter centum libris pondo habuisse dicuntur. — *Theoph.* Trecentas libras! Ehem!

Pat. Robinson thesaurum inventum humeris impositum lente domum deportat. Tum securi

sua

sua inferiorem partem conchae testudinis percutit, donec diffinderetur. Quo facto testudine potitus est, eaque mactata idoneam carnis partem assandam inde resecuit. Quam cum veru affixisset, exspectare vix potuit, dum satis emolliretur; magnam enim famem a labore contraxerat.

Interim dum offam versat, animus ejus in omnes partes volvitur, quomodo reliquam testudinis carnem tractaret, ne putredine corrumperetur? Ad illam enim muria condiendam labro, et sale Robinson carebat. Magna igitur cum tristitia praevidit fore, ut egregia ista testudo, quae vel quatuordecim dierum victum praebuisset, cras adeo plane putredine corrumperetur; neque ejus tamen sale condiendae rationem ullam inveniebat. Subito in cogitationem idoneam incidit. Superior testudinis crusta mactrae similitudinem referebat. Ista labri loco uti decrevit. Unde autem salem peteret? — Adeone me stupidum esse, ait, frontem simul percutiens! Nonne enim carnem aqua marina irrigare potero, quae quidem eandem ei utilitatem praestabit, ac si muria condita esset! Egregium consilium! iterum, iterumque exclamat atque prae laetitia veru multo velocius versat.

Iam caro rite assata erat. Hem! Robinson suspirat, dum eam magna cum voluptate gustare incipit, modo frustulum panis mihi nunc contingat! Quam equidem fungus fui, qui puer beneficium divinum in pane praebendo mihi collatum tam parvi pependerim! Olim enim eum fastidire solebam, nisi butyro et caseo commendatum. O me insipientem! Utinam nunc mihi contingeret panis ille furfureus, qui tunc cani nostro hortum custodienti coqui solebat! Quam me felicem eo praedicarem!

Haec dum reputat, tuberum recordatur, quae nuper admodum cineri candenti commiserat. Experiar vero, ait, quid illis factum ſit; unumque ex iis deprompſit. Ecce autem animum Robinſonis denuo laetitia affectum! Tuber nimirum durum adeo emollitum erat, nidor etiam tam ſuauis inde nares Robinſonis ſubiit, ut illico illud comedere inciperet. Ecce autem ſapor tuberis hujus aequavit jucunditate ſaporem — cui tandem illum comparem?

Amic. B. — Saporem tuberum ſolanorum!

Pat. Praeclare! Nihil abſolutius dici poterat! Robinſon quoque magnopere laetatus eſt, cum animadvertiſſet tubera iſta panis vicem ei praeſtitura eſſe!

Iterum ergo lautiſſimis epulis veſcitur. Quo facto propter ardorem ſolis paullulum in ſtrato recubuit, tempusque operi faciendo non idoneum conſiliis ineundis impendit. „Quid equidem, ſecum reputavit, nunc proxime agam?“ Lateres enim oportet antea ſole ſiccatos eſſe, quam ad murum conficiendum animum adjiciam. Optimum ergo factu erit ad venandas aliquot lamas proficiſci. — Quid autem tanta carnis copia faciam? — Quid ſi culinam meam carnibus fumo condiendis idoneam reddidero? — Praeclarum conſilium! exclamans ait; tum celeriter ſe e ſtrato corripuit, atque ante locum deſtinatum culinae conſtitit, ſecum deliberaturus, quomodo hoc conſilium rite perficeret. Mox autem vidit rem facili negotio proceſſuram. Nihil enim opus erat, niſi, ut in utroque muri latere foramen conficeretur recipiendo baculo aptum. Quo facto peruam in eo appendere poterat, fumariumque perfectum erat. Robinſonis caput vertigine fere prae laetitia corripitur

tur

tur e consilio tam felici concepta. Quanti, quaeso, nunc ille emisset opportunitatem laterum sole satis duratorum, ut statim magno se accingeret operi! Quid autem faciendum erat? Expectandum nempe, donec sol lateres duravisset!

Cuinam vero negotio horas pomeridianas hodie impensurus erat? Quod cum secum reputasset, novum consilium invenit cunctis prioribus longe praestantius. Admiratus etiam est stuporem suum, quod in eam cogitationem non prius incidisset.

Nicol. Quodnam tandem consilium fuit?

Pat. Praeclarum sane! scilicet animalia quaedam domestica mansuefacere decrevit, quae ipsi victum simul, et societatem praestarent.

Theoph. Lamas sine dubio?

Pat. Rem acu tetigisti! Neque alia hactenus invenerat animalia. Lamae autem cum mansuetissimae esse viderentur, speravit fore, ut facili negotio nonnullas ex iis vivas caperet.

Theoph. O lepidum inventum! Utinam cum Robinsone essem, ut mihi quoque ejusmodi animal caperem! — *Pat.* Quo vero modo in iis capiendis versaturus esses, Theophile? Tanta enim earum mansuetudo fuisse non videtur, ut solis manibus prehendi potuerint.

Theoph. Quo tandem modo Robinson rem aggressurus erat?

Pat. [illegible] eo ipsi aqua haerebat; propterea quoque diu, multumque rem animo versavit. Tanta autem est animi humani cum industria conjuncta vis, ut nullum fere negotium, quod quidem per se fieri possit, ei nimis arduum sit, modo constantiam, et severitatem consilii adhibeat. Adeo vires,

 qui-

quibus creatoris benignitas nos instruxit, magnae, atque variae sunt!

Animis vestris, o mei! hoc infigite, nec unquam de successu negotii, quamvis ardui, desperate, quoties in eo perficiendo constanter perseverare statueritis. Multa enim, de quibus perficiendis antea dubitabatur, industriae assiduitate, continuata meditatione, consiliique constantia perfecta sunt. Nolite ergo unquam difficultatibus oblatis deterreri a quoquam negotio; cogitate potius, vos eo tandem perfecto tanto majorem laetitiam inde capturos, quanto majori studio ad illud perficiendum annisi fueritis.

Robinsoni nostro quoque satis feliciter successit inventio consilii, quo in lamis capiendis uteretur. Statuit nempe, laqueum ita contorquere, ut tendiculae usum praestaret; tum autem post arborem se occultare, atque primae cujusque lamae, quae satis appropinquasset, laqueo caput irretire. Hac mente funem satis crassum contorquet; aliquot horis elapsis omnia confecta sunt. Tum experimentum ejus capturus, tendiculam satis commode contrahi posse vidit.

Quoniam vero locus ille, unde lamae aquam petere solebant, satis remotus erat, Robinson dubitans, num vespere quoque eo venturae essent, quippe quae nuper meridie ibi fuissent, capturae tempus procrastinavit, interimque omnia ad iter faciendum necessaria rite paravit. In eum nempe locum se contulit, ubi tubera solanorum invenerat, totamque peram venatoriam iis complevit. Altera eorum parte cineri candenti, quo torrefierent, commissa, alteram in angulo cavernae ad proximorum dierum usum condit. Tum quoque idonea portione testudinis resecta, quae coenae hodier-

hodiernae, crastinoque jentaculo, sufficeret, reliquam ejus partem aqua marina hunc in finem apportata irrigat. Quo facto foveam mediocrem in solo confecit, quae sibi pro tempore cellae vicem praestaret. In ea concham testudinis carne repletam condidit, portionem assandam ei addidit, ostiumque cellae ramis contexit.

Reliquum a meridie tempus animo jucunda ambulatione recreando impendit, eamque ob causam ad littus maris se contulit, unde suavis Eurus spirabat, quo aeris aestus paullulum temperabatur. Admodum autem delectatus est adspectu maris immensi, cujus aequor undis leniter in gyrum coeuntibus vix commovebatur. Hic animum suum magno desiderio affici sensit, oculis in eam coeli regionem conversis, versus quam cara ipsius patria sita erat; moesta quoque lacryma furtim Robinsonis genas irrigavit, cum vivida parentum optimorum imago mentem ejus subiisset.

Quaenam nunc erit conditio miserorum istorum, atque de salute mea sollicitorum? exclamat Robinson, acerbissimo cum dolore, et lacrymis redundans. Siquidem superstites sint luctui a me sibi excitato, eheu! quantopere vel quotidie propterea affligentur! Quantis, quaeso, querelis orbitatem suam prosequentur! Quam lamentabuntur filium ultimum, dilectissimum, suis proditis in perpetuum ab ipsis discessisse! O pater carissime, optime! O Mater dilecta! percara! Ignoscite, ignoscite filio vestro misero, quod vos tantopere afflixerit! Tu vero, pater coelestis, qui jam mihi unicus pater, unica societas, unicum auxilium, et praesidium es! — (tum supplex in genua se prosternit:) auctor vitae meae! summis beneficiis, omnibusque iis gaudiis, quae mihi a te destinata fuerunt,

fuerunt, quibus ego autem me indignum reddidi, parentes carissimos acerba a me injuria affectos cumula; ad compensandum eorum luctum! Lubenter, heu! equidem omnia patiar, quae tu sapientia aeque, ac amore ductus in posterum etiam ad animum meum corrigendum mihi subeunda paraveris, modo parentes miseri, et innocentes laetiori forte fruantur!

Aliquamdiu etiam in genua prostratus Robinson obmutescens prae moerore oculisque in coelum sublatis haesit. Tandem surrexit, atque cultro lapideo carissimorum parentum nomina arbori proximae insculpsit insuper addens: *Deus optimus maximus vos beatos reddat!* Infra autem: *Ignoscite filio vestro perdito!* Tum nomina incisa ore ardenti osculatus lacrimis irrigavit! Eadem illa nomina, carissima deinceps iisdem verbis additis pluribus aliis arboribus in diversis insulae regionibus insculpsit, plerumque autem apud ejusmodi arborem preces fundere solebat, nunquam sine mentione parentum facta.

Theoph. Nunc Robinson sane frugi homo mihi videtur!

Pat. Feliciter sane viam rectam virtutis ille ingressus est, beneficio divinae providentiae, quae eam illi monstravit.

Theoph. Nunc ergo deus eum e conditione misera vindicare, atque ad parentes reducere posse videtur!

Pat. Deus, qui omnia futura praevidet, optime novit, quidnam ei conducat; eique sapientissime prospiciet! Est ille quidem humano judicio talis, ut in dies melior evadere videatur; quis autem spondeat, eum jam ex insula sua liberatum, atque parentibus redditum, virtutis viam non re-

lictu-

licturum esse. Quam facilis enim relapsus in pristina vitia esse solet! O mei liberi! verissime dictum est; *Quicunque stat, caveat ille, ne labatur.*

Robinsoni quidem littus obambulanti in mentem venit, lavando corporis valetudinem curare. Itaque vestes exuit, vehementer autem obstupefactus est, adspecto indusio, quod unicum habebat! Quoniam in regione tam calida illo nullo non tempore usus erat, oculis cerni vix poterat, linteum olim albi coloris fuisse. Antequam ergo ipse lavaretur, sedulo indusium lavare instituit; tum eo ex arbore suspenso ipse in aquam prosilit. Cum autem in pueritia natare didicisset, magna cum voluptate ex eo loco, ubi in aquam descenderat natando pervenit ad linguam quandam terrae, satis longo spatio in mare procurrentem, neque sibi antea cognitam.

Frid. *Lingua terrae?* quid hoc significat?

Pat. Ita vocant tractum terrae mediocriter largum ab insula quadam, aut a continenti in mare procurrentem. Ecce ripam lacus nostri leniter in aquam se insinuantem, quae, si longius procurreret, lingua terrae appellari posset! Iamne intelligis?

Frid. Optime intelligo. —

Pat. Istud quoque Robinsonis nostri consilium faustissimum fuerat. Invenit nimirum istam terrae linguam maris accessu inundari, post ejus recessum autem magnam copiam testudinum, ostrearum, et concharum in ea residere. Hac vice ille quidem nihil inde secum asportare potuit, neque etiam eorum nunc indiguit culina satis instructa. Attamen vehementer de novo hoc invento laetatus est,

Ista maris regio, quam Robinson circumnatavit, adeo piscibus abundabat, ut fere manibus capi possent; quorum multa millia, siquidem reti instructus fuisset, facile cepisset. Eo autem adhuc carebat; cum tamen omnia negotia hactenus feliciter ei successissent, speravit fore, ut aliquando rete piscatorium sibi conficeret.

Quibus inventis jucundissimis laetus in terram regreditur, hora fere integra in aqua consumta. Indusium quoque aeris calore penitus siccatum erat; tum ille diu exoptata voluptate lintei mundi induendi fruitur. Cum vero cogitasset ejus voluptatis inconstantiam, quam cito quidem unicum illud indusium, quo semper ipsi nunc utendum foret, usu attereretur; et quomodo eo attrito sibi consulturus esset, gaudium suum moerore misceri sensit. Attamen animo mox confirmato vestibusque indutus, domum revertitur cantans: Quicunque deo se commendat, etc.

Ioh. Amo Robinsonem, quod nunc animum tam celeriter non abjicit, deoque rite confidit!

Carol. Utinam ille ad nos veniret, ex animo eum diligo!

Theoph. Modo pater chartam mihi praeberet, equidem epistolam ad eum scriberem!

Nicol. Egó quoque vellem! *Joh.* Neque minus ego!

Carol. Equidem ei non deessem, modo scribere didicissem!

Mat. Tu sane mihi dictare poteris, quae ad ipsum scribere cupias, equidem pro te calamo ista excipiam.

Carol. Egregium consilium! — *Mat.* Agite ergo! Chartam vobis praebebo!

Hora

Hora dimidia peracta omnes deinceps exsultantes epistolas in medium proferunt.

Carol. Ecce! dulcissime pater! epistolam meam, legas velim!

Pat. (legit) Carissime Robinson!

„Cura, ut quam diligentissimus, et optimus „evadas! quod quidem cum omnibus hominibus, tum parentibus tuis, magnum gaudium „creabit. Salutem tibi plurimam dico! Nunc „intelliges, quam utilis sit rerum inopia! „Theophilus, et Iohannes salutem tibi plurimam dicunt; Dietericus cum Nicolao item. „Si quando nos viseris, melius te quoque „erudiam. Vale!

Carolina.

Theoph. Nunc meam, optime pater! Ecce illam!

Pat. (legit) Amicorum optime!

„Summam felicitatem tibi apprecamur! simul „ac pecuniolam accepero, equidem tibi aliquid emam! Tu vero perge, quod incepisti, ut frugi homo sis! Mitto tibi frustulum panis; cave autem, ne in morbum incidas! Quomodo vales? Vale! optime Robinson! Etsi enim tu mihi ignotus es, tamen mirifice te amo! Vale, atque ama

Hamburgi die VII. Febr. Anno MDLXXIX.

Amicum tuum fidelem Theophilum.

Nicol. Ecce meam! Brevem admodum conscripsi.

Pat.

Pat. (legit) Care Robinson!

„Doleo vicem tuam! Si parentes non reli-
„quisses, infortunium tuum non accidisset!
„Vale! quam citissime autem ad parentes
„revertere! Iterum vale

Nicolaus.

Iohan. Nunc meam! — *Pat.* (legit)

Praenobilissime Robinson

„Miseret me tui ab omni animantium socie-
„tate sejuncti! Existimo tamen fore, ut nunc
„te peccati poeniteat! Vale! Ex animo au-
„tem opto, ut aliquando ad parentes tuos
„carissimos redeas. Caeterum deo in posterum
„semper fide, qui tibi optime prospiciet. Ite-
„rum vale!

Iohannes.

Dieter. Hem! mea nimis negligenter scri-
pta est!

Pat. Audiamus tamen!

Diet. Equidem properavi, ut quam citissime huc redirem.

Pat. (legit)

Care Domine Robinson!

„Quomodo vales in insula tua! Audivi te
„variis calamitatibus conflictatum fuisse! An
„nunc certior factus es de insula tua, num
„ab hominibus incolatur? Hoc equidem scire
„cupio! Audivi te quoque magnum auri
„pondus reperisse! Illud tamen in insula
„tua nullam utilitatem tibi praestabit.

(Pat. Addere poteras: apud nos etiam in Europa homines auri copia nec meliores, nec feliciores reddi solent.)

Carol.

Carol. Nautae, in Americam tendenti, eas mandabimus, addere quoque donaria quaedam licebit. Equidem uvas passas cum amygdalis ei praebebo, dabisne mihi dulcissima mater?

Ioh. (in aurem patris) Isti quidem putant, Robinsonem adhuc vivere.

Pat. Gratias vobis Robinsonis nomine ago, o boni, pro vestra in eum benevolentia! Epistolas autem vestras ad eum deportandas curare, — nequeo!

Theoph. Cur tu autem hoc nequis?

Pat. Propterea: quod Robinsonis animus jam diu in coelo versatur, corpus autem dudum dissolutum est.

Theoph. Ehem! jamne mortuus ille est? Nuper admodum eum lavari audivimus!

Pat. Oblitus eras, Theophile, ante hos ducentos annos accidisse, quae vobis de Robinsone narravi. Ille ergo jam dudum mortuus est. Ego vero epistolas vestras in ejus historia, quam litteris commodum mando, typis exarandas curabo. Fieri etiam potest, ut Robinson in coelis degens rescifcat amorem vestrum, quod quidem vel ibi magna voluptate eum afficiet.

Carol. Attamen tu de eo narrare nobis perges?

Pat. Pergam equidem! Multa enim vobis de eo narranda habeo, quae vobis non minus jucunda erunt, iis, quae hactenus de eo audivistis. Hodie autem satis de eo audivimus! — Robinson, lotus cantans domum rediit, atque coena consumta, precibusque fusis, placide ad quietem se composuit. —

Et sic nos quoque faciamus.

VESPERA OCTAVA.

FRID. Mater! mater! — *Mat.* Quid tibi vis, Friderice?

FRID. Johannes te rogat, ut indusium recens sibi mittas!

MAT. Cur vero illud rogat?

FRID. Ehem! Alias e balneo se recipere non potest!

MAT. Quam ob rem? Nonne indusium pristinum induere potest?

FRID. Minime! Istud quidem aqua eluit; nondum vero siccatum est. Robinsonem imitari voluit.

MAT. Egregie factum! — Dabo equidem tibi indusium! Tu vero curre, atque properate, ut ad nos redeatis! Pater narrationem persequetur!

MAT. (ad Johannem) Euge! amice Robinson! Quomodo te affectum sentis a balneo?

JOH. Quam optime! Indusium autem nimis lente siccatum est!

PAT. Oblitus eras, in nostris terris calorem tantum non esse, quantus in Robinsonis insula fuit. — Ubi autem heri substitimus?

DIET. Postquam Robinson ad lectum se contulerat, proximoque mane —

PAT. Ehem! nunc memini! — Postero die Robinson summo mane surrexit, atque ad venationem se accinxit. Peram venatoriam tuberibus

assatis,

assatis, idoneaeque testudinis assae portione foliis involuta instruxit. Tum securi se cingit, laqueo etiam, quem heri ad lamas capiendas confecerat, umbellaque instructus in viam se contulit.

Summum adhuc mane erat. Constituit igitur paullulum a recta via deflectere, ut alias quoque insulae partes viseret. Inter innumerabiles volucres, quibus arbores abundabant, psittacos etiam admirandis coloribus conspicit. Quam ille cupiebat unum ex iis capere, quem mansuetum, atque socium sibi redderet! Qui vero ex iis adolevissent, callidiores erant, quam qui caperentur; pullorum autem nidum nusquam conspexit. Itaque hodie huic desiderio satisfacere non potuit. Attamen inter eundum aliquid invenit, quod ipsum psittacum utilitate longe superaret. Dum enim collem quemdam mari vicinum conscendit, oculis in rupium hiatus conjectis aliquid conspexit, quod ipsius curiositatem excitaret. Descendit igitur, atque magna cum voluptate animadvertit esse — quid tandem existimatis?

Dieter. Uniones! — *Joh.* Hui! Scilicet istis Robinson laetatus fuerit! Ferrum potius fuisse videtur.

Nicol. An tu oblitus es, in regionibus istis calidis ferrum non reperiri? Fuerit potius massa auri!

Carol. Multum falleris! Cur enim hac laetaretur? Auri enim nullus usus ibi erat.

Pat. Satis intelligo, vos rem divinando non assecuturos esse; itaque ipse dicam: Invenit nimirum — *Sal.* Adhibuerat ille quidem hucusque ejus loco aquam marinam, quae tamen salis praestantiam non aequavit. Praeterea aqua marina saporem amarum habet, valde eum ingratum; temere quoque ille putaverat, carnem aqua marina

conditam putredine consumptum non iri; illa enim non minus putrescit, ac aquae e fluviis aut fontibus petitae, si quidem illa motu caret. Magnam ergo utilitatem ei praestitit sal genuinum hic repertum. Propterea quoque ambas crumenas inde replevit statim secum deportandas.

Theoph. Quomodo autem sal eo pervenerit?

Pat. Oblitus esse videris eorum, quae olim vobis de origine salis exposui.

Joh. Equidem memini probe! Partim e terra effoditur; partim e salinis coquitur, partim in aqua marina invenitur.

Pat. Bene meministi! Ex aqua igitur marina sal vel ab hominibus, vel a sole coquitur!

Theoph. A sole?

Pat. Sane! Dum enim ex alto maris fluxu, aut inundatione cessante aqua marina in littore residet, sol istam sensim exsiccat; quod vero ex ea residuum est, sal est. —

Carol. Hui! Lepidam rem narras!

Pat. Agnoscite benignitatem dei optimi maximi, qui ita rebus nostris prospexit, ut, quibus minime carere possimus, facili ea negotio, atque sine arte parentur, eorumque maxima copia sit.

Jam Robinson laetus in eum locum se contulit, ubi lamam se capturum. Initio nullam ibi invenit, necdum meridies erat. Itaque sub arbore recubuit, genioque suo aliquid de carne assa, atque tuberibus indulsit, quae quidem utraque saporem longe meliorem sale addito contraxerant. Prandio commodum finito lamas accurrentes e longinquo conspicit. Robinson confestim loco idoneo occupato, sublata tendicula expectat, donec ap-

appropinquarent. Nonnullae etiam praeterierant, e quibus nulla capi posset; subito autem una ex illis tam prope ad eum accessit, ut manibus tantum demissis irretiretur. Quo facto lama potitus est; quae cum balare conaretur, tendiculam tantopere contraxit, ut vocem emittere non valeret, veritus, ne ejus clamore aliae deterrerentur. Tum eam quam celerrime in dumeta abripuit, ut e conspectu ceterarum removeretur.

Lama capta duorum pullorum mater erat. Qui quidem magnam in Robinsonis laetitiam eam protinus secuti, neque eum timere visi sunt. Ille lepidulas istas demulcet, istae autem ejus manum lambunt, obsecrantium instar, ut matrem dimitteret.

Theoph. Hem! Nunc istas dimittere debebat!

Pat. Stultissime profecto fecisset!

Theoph. Minime eum laeserat miserum istud animal!

Pat. Illi autem eo opus erat. Te quidem, Theophile fugere non potest, licere nobis *uti* animalibus, modo ne iis *abutamur*. — Robinson igitur voti compos magnopere laetatus est. Animal captivum, quamvis recusans omni vi connisus, secum abstraxit, pullis eum pone sequentibus. Jam viam brevissimam ingressus, tandem feliciter in domicilium suum revertitur.

Quomodo nunc autem lamam captam in atrium cavernae undique clausum immissurus erat? Neque enim tutum putabat eam laqueo demittere; verendum enim erat, ne interea suffocaretur. Itaque pro tempore constituit stabulum exstruere prope atrium suum, lamamque, cum pullis eo concludere, donec meliorem eorum conservandorum rationem invenisset. Interim arbori eam alligat, statimque

opus aggreditur. Securi nempe lapidea idoneam copiam tenerarum arborum amputavit, easque ita plantavit, ut parietem satis densum efficerent. Lama fessa interim recubuerat, pulli autem captivitatis suae nescii ad matris ubera jacentes magna cum voluptate illa sugebant. Robinsonis animus aspectu eorum satiari non poterat. Iterum, atque iterum constitit, dulcia ista pecora intuens, seque ipsum beatum praedicavit, quod tandem animantium qualiumcunque societate denuo frueretur. Nunc quoque vitam solitariam non amplius vivere sibi visus est; ex quo tantam ille voluptatem cepit, ut viribus novis auctus brevi stabulum inchoatum perficeret. Tum lima cum pullis ei commissa, ostium extremum densis ramis sepsit.

Jam verbis exprimi nequit, quanta ejus laetitia fuerit! Etenim praeter jucundissimam istorum animalium societatem multa alia, eaque maxima emolumenta inde speravit. Neque hoc injuria. E lana enim eorum aliquando vestem confecturus sibi videbatur, lacte eorum vesci, atque butyrum cum caseo inde parare poterat. Quae quidem omnia, quomodo aggressurus esset, etsi nondum perspectum habebat; attamen satis experientia edoctus erat, nemini de solertia sua desperandum, qui quidem studium indefessum ad laborem afferat.

Quin autem perfecta felicitate frueretur, unum adhuc ei defuit. Optavit nimirum, ut uno, eodemque pariete cum pecoribus suis caris cingeretur, quo semper ea ante oculos haberet, quoties domi esset, illaque consuetudinem ejus ferre penitus consuescerent. Quo consilio diu, multumque versato tandem ita rem aggressus est. Minime

nime eum piguit alteram domicilii ſepem diruere; quo facto nouam, eamque capaciorem exſtruere conſtituit, qua atrium ipſum aliquantulum dilataretur. Ut autem tuto habitaret, dum in conficienda nova ſepe occupatus eſſet, prudenter ille ſtatuit, veterem non prius diruere, quam nova abſoluta foret. Quod quidem opus laboris aſſiduitate intra paucos dies perfectum Robinſonem jucundiſſima trium ſodalium conſuetudine beavit. Attamen non propterea oblitus eſt voluptatis, quam e priſtina ſocietate araneae ſuae ceperat, eique quotidie muſcas, culicesque praebere nihilo ſecius perrexit. Illa quoque humanitate hoſpitis brevi perſpecta tantam cum eo familiaritatem contraxit, ut quoties hic telam ſuam tetigiſſet, illa progrederetur, muſcamque ex ejus manu acciperet.

Lama quoque cum pullis ſocietati Robinſonis brevi aſſuevit. Quoties enim domum rediret, toties ei obviam exſultantes veniebant, olfacientes ſimul, an forte aliquid deliciarum attuliſſet, manumque ejus lambentes, quaſi gratias acturi pro gramine, aut ſurculis ab eo acceptis. Tum pullos a matris lacte deſuefecit, illamque quotidie bis mulgere coepit. Vaſculorum vicem ei praeſtabant putamina Cocoſſae, vaſorum ſuperiores teſtudinum conchae; lactis autem uſus, tam dulcis, quam coagulati, vitam ei longe jucundiorem reddidit.

Cum arbor cocoſſa tot tantasque utilitates ei praeſtaret, illam multiplicare magnopere optavit. Quomodo autem hoc efficeret? Audiverat ille quidem, arboribus ſurculos inſeri poſſe; nunquam tamen ejus rei rationem ſe edoceri curaverat. Tum ſaepius ingemuit: eheu! quam levis in pueritia fui, qui ad ea, quae oculis, aut auribus meis ſubjicerentur, parum attenderim, neque a

peritis hominibus artes eorum utiles didicerim! O si mihi repuerascere liceret, quanta equidem cum cura ad omnia, quae hominum solertia et labore perficiuntur, animum adverterem! Nullus mihi opifex, nullus artifex occurreret, de cujus artificiis non aliquid discere studerem!

Hac quidem vice ars inserendi surculos, etiamsi eam penitus calluisset, Robinsoni nihil profuisset, quoniam Arbor Cocossa neque ramos, neque surculos, sed coronam magnorum foliorum agit. Si quis vero surculos arboribus inserere velit, eum oportet habere surculos ejus arboris, quam multiplicare cupiat. Tales surculi in rimam praesecti trunculi immittuntur, quae tum cera oblini, linteoque, aut libro redimiri solet. Sic isti surculi cum truncis praesectis coalescunt, qui quidem earum, de quibus amputati sunt, arborum indolem contrahunt.

Robinson igitur cocossae multiplicandae nullam aliam rationem vidit, nisi, ut e nucibus ejus nonnullas plantaret. Quod ergo facere constituit, quamquam aegre ferens jacturam cibi tam jucundi, et rari. Brevi quoque magna cum voluptate quasdam arbusculas Cocossae progerminantes animadvertit.

Lama mater, et pulli brevi eandem mansuetudinem contraxerant, qua canes nostri esse solent. Itaque sensim iis jumentorum loco commode uti coepit, quoties aliquid transportare vellet, quod ipsius vires onere superaret.

Joh. Quomodo autem eas secum abducere potuit, cum sepibus domicilii clausae essent?

Pat. Oblitus eram dicere, Robinsonem in loco quodam novae sepis, densis arbustis munito,

ostium

ostium reliquisse, lamae prorepenti accommodatum! Quod quidem ostium a parte exteriori conspici non poterat, intus autem quovis vespere ramos illi praetexere solebat.

Jucundus sane aspectus Robinsonis erat domum redeuntis, atque lamam onustam ante se agentis. Noverat illa non minus ipso viam, simul ac autem ad ostiolum illud pervenisset, consistere solebat, ut onere levaretur. Quo facto incurvata irrepsit, Robinsone eam sequente. Tum ejus pulli mirifice laetati exsultando, atque balando laetitiam exprimere, nunc ad matrem salutantes quasi accedere, nunc ad dominum blandientes. Robinson autem eandem voluptatem e laetitia eorum cepit, quam pater redux e dulci liberorum suorum gaudio, atque amplexu capere solet.

Amic. B . . . Notatu sane dignum est, animalia erga homines bene de se meritos tam gratum animum ostendere!

Pat. Ejus rei plurima, eaque memoratu dignissima extant documenta, ex quibus ratione praedita esse animalia posset colligi, nisi ea ista carere aliis de causis constaret.

Dieter. Euge leo ille, de quo in enchiridio nostro legimus, vir quoque — hem! quis vocabatur?

Joh. Androclus! — *Dieter.* Recte meministi! — qui quidem e leonis ungue sentem extraxisset!

Theoph. Bonus sane leo fuit! Androclum scilicet pro isto beneficio adeo dilexit, ut eum postea laedere nollet, cum dilaniare eum debuit. — Ego quoque leonem mihi optarem, si omnes eadem mansuetudine essent!

Joh. Mihi quidem canis ille, quem Helvetius quidam habuit, magis etiam placet! — Carol. Quinam canis?

Joh. Nonne meministi ejus, qui duos homines a morte servaverit?

Carol. Narra, quaeso, optime Johannes!

Joh. Fuit aliquando vir quidam in Helvetia, ubi Alpes excelsae sunt.

Carol. Hem! ubi marmotae habitant?

Joh. Ibidem! — Vir igitur montem altissimum conscendit, cujus tanta altitudo fuit, quantam turris templi S. Michaelis decies sibi imposita vix exaequaret!

Theoph. Omisisti, fratercule, eum ducem viae secum habuisse!

Joh. Habuit ille quidem! — Monstrator autem viae canem secum adduxit. — Cum autem montis cacumen conscendissent —

Theoph. Scilicet mons nive undiquaque obrutus fuit!

Joh. Hui! sine me narrare! — Mons ergo nive atque glacie penitus obrutus erat. Hic, dum ad cacumen appropinquant, vir prior, dux postea, qui illum sustinere volebat, labitur, et sic ambo delabuntur, atque vix duorum passuum spatio a margine praecipitii immensi absunt. Tum bonus canis domini veste arrepta eum prohibuit, quin protinus delaberetur; ille autem socium itineris retinuit, donec ambo in pedes erecti sunt.

Theoph. Nunc quoque te oportet narrare, quidnam vir ille dixerit! Equidem bene memini!

Joh. Neque ego minus! Monstratorem nempe viae rogavit, ut se nonnunquam domi viseret, sem-

semperque secum canem adduceret, cui semper botulum assandum curaturus esset! —

Carol. An vero ille hoc fecit?

Joh. Fecit sane! Quoties dux viae eum visit, istum quidem liberali hospitio excepit, cani autem semper botulum apposuit.

Carol. Humaniter sane factum.

Pat. Eho! mei liberi, a Robinsone nostro aberravimus! hodiene eum plane missum faciemus?

Theoph. Minime, dulcissime pater! Tantillum de Robinsone!

Pat. Jam lateres satis durati fuerunt! Itaque terram lutosam quaesivit, qua calcis loco ad murum exstruendum uteretur; neque eam non invenit. Tum trullam e lapide plano confecit, ne autem ullo instrumento ad opus caementarium faciendum necessario careret, normam quoque cum perpendiculo confecit, quam scitissime fieri posset. An vero meministis eorum instrumentorum?

Nicol. Satis quidem ista vidimus!

Pat. Praeparatis itaque omnibus, quae ad opus caementarium faciendum pertinerent, idoneam laterum copiam a lama apportandam curavit.

Joh. Quomodo tandem lateres lamae imposuerit?

Pat. Quomodo hoc ille machinatus fuerit, aegre divinabitis. Itaque ipse statim exponam.

Jam diu animadverterat, quantam utilitatem ex arte corbium texendarum capturus esset. In pueritia autem sua adeo istam artem contemserat, ut nunquam corbium opificem attente observaret.

Quo

Quo factum est, ut hujus artis, quae per se parum difficilis est, aeque ac omnium reliquarum imperitissimus esset. Cum autem in umbella texenda statim felici successu usus fuisset, subinde in posterum quoque eidem artificio otium suum impendit. Sic igitur usu, atque experientia callidior in dies factus est, donec tandem idoneam corbim conficere didicit. Ejusmodi corbes duas confecit, quas laqueis junctas lamae ita imposuit, ut utrinque dependerent. —

Theoph. Equidem, pater, corbium texendarum artem discere cupio!

Pat. Ego quoque hoc cupio, Theophile! Quam ob rem proxime corbificem rogabo, ut nos artem suam doceat.

Theoph. Egregia polliceris! Tunc Carolinae meae lepidissimam corbulam texam!

Carol. Scilicet ipsa discam hanc artem! Nonne, pater?

Pat. Disces sane! Nihil tibi obfuerit, eam didicisse. Interdum enim nobis deest materia operis faciendi, dum vobis aliquid narro; tunc apprime vobis conducet ars corbium texendarum.

Robinson igitur opus suum caementarium felici cum successu inchoat. Jam alterum culinae parietem exstruxerat, alterius fundamenta jecerat, cum subito res improvisa accidit, quae magnam partem consiliorum ejus pervertit. — *Joh.* Quidnam tandem istud fuerit?

Carol. Equidem rem assequor. Homines feri venerint, atque eum comederint!

Theoph. Bona verba! Verane illa dicit? pater!

Pat.

Pat. Minime illa quidem! Verum tamen ejusmodi erat, quod Robinsoni non minorem terrorem incuteret, ac si homines feri eum vivum assare voluissent.

Joh. Hui tandem! Quidnam autem fuerit?

Pat. Nox erat; Robinson securus in strato recumbebat, lamae fideles ad pedes ejus projectae, Luna alma de coelo splendebat; aer purus, et tranquillus erat, omnia undique alto silentio tenebantur. Robinson labore diurno fessus dulci somno fruebatur; parentum vero imago, quae saepe solebat, mentem somniantis subierat. Tum subito — attamen re tam horribili hanc vesperam non finiemus. Ejus enim recordatio mentibus nostris in somnio subjecta, quietem noctis turbaret.

Omnes. Eho! — *Pat*, Animum potius jucundis cogitationibus pascamus, ut hunc quoque diem laeti, atque grati erga benignissimum patrem coelestem componamus. — Agite, o mei, ad floreta primum, tum in umbraculum nostrum tendamus. —

VESPERA NONA.

Postquam pater usque ad finem praecedentis capitis narrando pervenerat, variis negotiis impeditus est, quo minus proximis vesperis narrationem persequeretur.

Interim liberi admodum de Robinsonis conditione solliciti fuerunt; tantopere enim cupiebant scire, quidnam ea nocte, cujus pater postremum

mentionem fecerat, ei acciderit, ut propterea vel lepidissimum trochum quisque dedisset. Quod cum praeter patrem ipsum nemo iis exponere posset; illi visum est, nihil de ea re apud eos ante commemorare, quam historiam Robinsonis ordine persequi liceret."

Quod patris molestum silentium eos mirifice sollicitos, atque meditabundos tenuit. Singulis enim singula divinantibus nihil tamen excogitatum est, quod iis conveniret, quae de ignoto isto casu antea jam audivissent.

Cur autem istud nondum sciamus? nonnulli miserabili vultu patrem rogant. — Mihi sic videtur, respondet pater.

Liberi, quippe qui ejusmodi responso contenti esse didicissent, non amplius urgent patrem, atque modestó cum desiderio tempus expectant, quo patris silentium cessaturum esset. Quoniam vero homines adulti animos juniorum facile penetrare, cogitationesque eorum divinare possunt, pater nullo fere negotio animadvertit quosdam secum reputantes „quaenam tandem causae fuerint, quae patrem impediant, quo minus precibus nostris obsequatur?" Itaque statuit nova benevolentiae suae testificatione eos docere, idoneis de causis se narrationem suam nondum persequi. —

Accingamini, inquit, ad iter diu optatum, quod cras Travemundam ad mare Balticum facturi sumus!

Travemundam? — ad mare Balticum? — crastino mane? — Ego quoque? — carissime pater? — ego quoque? — Omnes uno ore interrogant. Quod cum pater universis annuisset, clamor laetabundorum ingens oritur. —

Travemundam! Travemundam! Ubi est baculus meus? Johanna! Cedo caligas meas! scopulas

las! pectinem! lintea munda! Travemundam itur! propera tandem! — Tali clamore tota domus resonat! Jam omnia ad peregrinandum parata sunt; viatores autem parvuli laetabundi multa interrogant, neque tamen responsa exspectant.

Aegre ab iis obtineri potest, ut ea nocte ad lectum se conferant, quoniam diei crastini ortum, itinerisque faciendi tempus expectare vix possunt.

Jam prima diei lux oritur, tota domus resonat. Ante omnia cubilia tympanis pulsatur; nemini in lecto commorari licet. Cum autem universi parati essent, majores etiam natu a minorum blanditiis tantum non contererentur, pater frontem fricat, atque vocem a communi laetabundorum clamore miserabiliter abhorrentem emittit, dicens:

Si gratum mihi facere vultis, o mei, solvite me hodie promisso meo. Quonam tandem? quonam? — sic omnes interrogant, atque ora sollicitudine et expectatione hiantia tenent.

Pat. Eo scilicet promisso, quod vobis dederam, de itinere ad Travemundam hodie faciendo. — Tum universi penitus obstupescunt, vox faucibus haeret?

Pat. Equidem hac nocte reputavi, nos temere facturos, si hodie etiam in viam nos contulerimus.

„Hei cur tandem?" — voce occlusa, lacrimisque aegre suppressis rogant?

Pat. Rem vobis exponam, ut ipsi dijudicetis. Primum enim per aliquot dies continuos ventus ab occidente spiravit; qui quidem aquam Travae tanta cum rapiditate in mare propellit, ut e portu Travemundae nulla navis neque exire, neque eum intrare possit, quoniam ostium fluvii nimis vado-

sum

sum est. Cupimus autem omnes ista videre, si quando eo pervenerimus.

„Hem! nonne ventus hodie etiam immutari possit?“

Pat. Alia quoque ratio mihi in mentem venit! Si iter nostrum quatuor hebdomades distulerimus, in illud tempus commodum incidet; quo ingens ille halecum exercitus e mari glaciali in mare Balticum descendere solet. Tunc tanta eorum copia usque ad ostium Travae penetrat, ut piscatores facili negotio eos ex undis colligant. Hoc quoque intueri velle nobis videmur! Nonne? — „Sane quidem — sed!“

Pat. Gravissimam nunc, quaeso, audite rationem! Quale judicium de nobis facturi sunt Mathias, et Ferdinandus, novi amici nostri, qui non ante has proximas quatuor hebdomades ad nos venient, si iter hoc jucundissimum instituerimus neglecta eorum societate? Nonne questuri sunt de nobis, quoties in posterum voluptatis ex hoc itinere captae mentionem fecerimus; ista autem mentio tunc nobis omnibus grata esse poterit? Minime profecto! Taciti enim nunquam non nos vituperabimus, quod inique cum iis egerimus. — Quid ergo putatis?

Altum silentium!

Pat. Vos non fugit, me semper promissa mea servasse. Quod si ergo hoc postulatis, proficiscemur! Sin me sponte promisso meo liberaveritis, mihi, amicisque nostris futuris, vobis ipsis etiam officium praestabitis. Dicite ergo! Quidnam faciendum est?

Opperiemur! omnes respondent; sic igitur iter optatum differtur. Tum manifestum erat nonnullos

nullos non sine magna animi contentione istam spem deposuisse. Isti quoque hunc diem longe minori cum hilaritate, quam alias solebant, egerunt. Quam ob rem pater transacto hoc die sic eos allocutus est:

Quod vobis hodie contigit, o mei, hoc in posterum vobis vel saepissime vsu veniet. Expectabitis nunc hoc, nunc illud felicitatis genus; spes vestra quam certissima esse videbitur, desiderio ejus vehementer flagrabitis. Cum autem speciosa ista felicitate potiri commodum existimabitis, divina providentia sapienter vobis istam spem eripiet. Raro autem rationes divinorum consiliorum tam indubitanter intelligetis, quam hodie intellexistis causas, de quibus Travemundam profecti non simus. Quia enim dei sapientia infinita est, remotissima tempora ille mente complectitur, atque saepius talia nobis accidere jubet, quorum vtilitatem non nisi longo post tempore, aut adeo in vita aeterna demum experiemur. Ego vero quatuor hebdomadum spatium cogitatione tantum complexus sum!

Quod si igitur in juventute vestra omnia vobis ex voto cessissent, quoties, o mei, hoc molestiis vos in futura vita afficeret! Animus enim vester insvetus quippe atque impatiens repulsarum, saepius pertubaretur, cum se sperata felicitate privatum animadvertisset. Veniet autem profecto tempus, quemadmodum omnibus hominibus contigit, quo vota vestra saepius irrita erunt! Nemo enim mortalium unquam inventus est, qui omnibus votis, se beatum semper praedicaret.

Quid itaque rebus ita comparatis faciendum est, carissimi liberi? — Nihil aliud scilicet, nisi ut in pueritia etiam assvescendo discatis carere voluptatibus quas maxime exoptatis. Quod quidem

continentiae studium saepius repetitum pectus vestrum forte reddet ad omnia constanter ferenda, quaecunque numinis sapientia vobis benevole prospexerit.

En vero, o mei, simul rationem idoneam dijudicandorum consiliorum, quibus nos homines adulti saepius erga vos utimur, quaeque vobis interdum obscura videntur. Non enim vos fugit, nos saepe vobis aliquid negasse, quod magnopere a vobis expeti vidissemus. Nonnunquam repulsarum causas vobis exposuimus, cum existimavimus, vos eas intelligere utiliter posse; interdum autem secus fecimus. Quam ob rem vero? — Nulla alia de causa, nisi ut vos patientes et moderatos redderemus, id, quod omnibus hominibus utilissimum est, et ut vos ad futurae vitae conditionem rite praepararemus! —

Nunc quoque intelligetis, cur equidem per hos proximos dies semper recusaverim historiam Robinsonis vobis persequi. Tantum enim spatium temporis facile invenissem, quantum suffecisset exponendae ei rei, de qua vos ancipites, et incertos reliqui, cum narrare desii. Ego vero hoc pertinus negavi precibus vestris, etsi aegre a me impetrare soleo; ut vobis aliquid negem. Cur igitur hoc feci, Carolina?

Carol. Ut nos patientiam doceres!

Pat. Recte judicas! Certo autem scio, vos olim, si quid aliud, hoc profecto mihi gratum relaturos, quod vos assvefecerim sine magna aegritudine carere iis rebus, quas vehementer cupieritis. —

Sic igitur diebus proximis etiam nihil de Robinsone narratum est! Tandem vero diu exoptata hora venit, ubi nihil amplius patrem impedivit.

sit, quo minus communi omnium desiderio satis-faceret. Sic ille ergo narrare pergit:

Nox erat, sicut nuper jam dixi, Robinson securus in strato jacebat, lamae fideles ad ejus pedes recumbebant. Altum ubique regnabat silentium; Robinson, prout solebat, de parentibus somniat. Tum subito terra insolito more contremuit, tantus autem fragor sub ea tamque horribilis mugitus auditur, ut magna tonitruum multitudo simul erumpere videretur. Robinson expergefactus cohorruit, atque e strato se corripuit, nescius plane conditionis suae, atque consilii inops. Illico terrae motus frequens insequitur; fragor subterraneus continuatur. Procella simul horribilis, exoritur, qua arbores, atque saxa dejiciuntur, maris autem cum fremitu aestuantis ima loca convelluntur. Universa rerum natura tumultu ferri, atque ruinam ducere videbatur!

Robinson verissimo mortis angore correptus e spelunca in vestibulum prosilit, lamae exterritae eum sequuntur. Vix inde aufugerant, cum saxa speluncae imminentia super cubile eorum collapsa sunt. Robinson, cui terror alas addiderat, per ostium vestibuli diffugit lamis anxie eum sequentibus. Primum autem tentavit montis vicini eam partem conscendere, quae superne planitiem nudam habebat, ne arboribus corruentibus interimeretur. Quo tendens, subito magno cum terrore ingentem hiatum ea ipsa montis in parte editum videt, unde fumus, flammae, cineres, lapides cum materia candenti, quam *lavam* appellant, erumpunt. Vix etiam fuga morti se eripuit, quoniam lava candens, torrentis instar, ruebat, magna autem montis fragmina, velut per nimbum late disjiciebantur,

Tum ad littus procurrit, ubi novo, atque horrendo spectaculo excipitur. Turbo vehemens ab omnibus coeli partibus spirans nubium congeriem densissimam effecerat, unde tanta aquae moles subito delapsa est, ut omnis regio illico inundaretur. Ejusmodi pluviae effusionem *catarractam* appellare solent. Robinson aegre in arborem se recipit; miserae autem lamae undarum violentia abripiuntur. Eheu! quam acerbe earum ejulatu animus ejus vulneratur! Quam vero ille vel cum vitae periculo eas servare conatus esset, nisi jam rapidis fluctibus nimis longe abreptae fuissent. Terrae motus paullulum adhuc continuatur; tum repente omnia silent. Venti residunt, hiatus ignivomus ignem evomere desinit, fragor subterraneus cessat, coelo pristina serenitas redit, omnis etiam aqua exiguo temporis spatio evanescit.

Theoph. (*suspirans*) Ehem! nunc tandem respiro! Miser Robinson! Miserae lamae!

Carol. Equidem vehementer angebar!

Frid. Unde autem ejusmodi terrae motus oritur?

Joh. Hoc dudum pater nobis exposuit, cum tu nondum hic fuisti.

Pat. Itaque ei illud expone, Johannes!

Joh. In terra scilicet permultae, atque amplae sunt cavernae, cellarum instar, aeris atque vaporum plenae. Tum magna copia earum rerum, quae facile incenduntur e. c. sulphuris, picis, bituminis, etc. reperitur. Quae nonnunquam incalescere, atque incendi addita humiditate solent.

Theoph. Humiditate? An vero id, quod humidum est, aliquid calefacere potest?

Johan. Potest sane! Nonne animadvertisti, cum fabri caementarii aquam frigidam calci vivae infun-

infundunt, hanc effervescere, velut igne subjecto, qui tamen plane nullus subest. Eodem modo res subterraneae aqua immissa incenduntur; quorum incendio aer caveis istis ingentibus inclusus adeo expanditur, ut amplius ab iis capi non possit. Tum ille violenter inde erumpere conatur, terramque concutit, donec alicubi exitum inveniat. Eo loco, procellae instar, erumpit, magnamque vim materiarum ardentium, atque liquefactarum secum abripit.

Pat. Ista autem materia, quae lapidibus, metallis, bituminibus etc. liquefactis constat, *lava* dicitur. Memini quoque, me olim legere in libro quodam, monticulum ignivomum imitatione naturae effici posse; quod si vobis placuerit, aliquando tentabimus.

Omn. Euge! Euge! carissime pater!

Joh. Quomodo hoc autem efficitur?

Pat. Praeter idoneam sulphuris, et ferri ramentorum copiam nihil opus est ad hanc rem. Quae tum humido loco in terram defossa sponte effervescunt, atque incenduntur, ita ut montis ignivomi instar efficiant. Proxime ejus rei experimentum capiemus, siquidem unusquisque vestrum de pecuniola sua symbolam ad faciendos sumtus conferre voluerit.

Omn. Lubentissime, pater! lubentissime!

Pat. Sed hoc alias tentabimus. —

Postquam Robinson ex arbore, in quam perfugerat, descendisset, animus ejus novis, quibuscum modo conflictatus erat calamitatibus adeo debilitatus fuit, ut gratiarum deo optimo maximo, cujus beneficio iterum ex ancipiti mortis periculo

ereptus erat, pie agendarum oblivisceretur. At vero conditio ejus vehementer afflicta erat! Spelunca enim, quae sola hucusque refugium tutum ei praebuerat, ruinis obruta videbatur, lamae fideles undis abreptae, omnia opera superiora diruta, omnia futurorum consilia irrita erant. Mons quidem ignem evomere desierat; at ex hiatu ejus vapor crassus, atque ater adhuc erumpebat, quapropter timendum erat, ne ille montis ignivomi naturam in posterum quoque retineret. Quod si accideret, quomodo Robinsonis animus requiescere poterat? Nonne quotidie novum terrae motum novamque ignis effusionem timere debebat?

Tristibus his cogitationibus ejus animus plane fractus est. Sollicitudinis vehementia oppressus obliviscitur ipsius dei, a quo verissimum solatium petere debuisset, mentemque unice in futuras conditionis suae miserias defigit, quae ipsi immensae videbantur. Tum angore debilitatus ad arborem, e qua descenderat, reclinatus indesinenter gemitus flebiles edit. Hoc in statu solatii expers remansit, donec aurora novi diei ortum nunciaret.

Theoph. *ad Amic. R.* — Nunc intelligo, patrem recte judicasse!

Amic. *R*.. Qua de re?

Theoph. Equidem nuper putabam, Robinsonis animum penitus jam emendatum esse, deum nunc satis illum exilio suo liberare posse. Tum pater dixit: deum ipsum hoc optime callere, nos autem hoc minime dijudicare posse.

Amic. R. — Quid tum? *Theoph.* Nunc equidem video, eum nondum satis deo confidere, deumque sapienter fecisse, quod eum nondum liberaverit.

Nicol.

Nicol. Mihi quoque sic videtur, propterea eum non aeque ac antea diligo.

Pat. Iudicium vestrum, o mei, verissimum est! Satis enim intelligimus, fiduciam Robinsonis in deo positam nondum tam esse constantem, quam divinae bonitatis, atque sapientiae plurima documenta, quae ipse expertus erat, merito eam reddere debuissent. Sed antequam eum propterea damnemus, vicem ejus aliquantisper subeuntes nos ipsi examinemus, an eum fortitudine animi superaturi fuissemus? Quid tibi videtur, Nicolae?

Nicol. (Voce submissa et dubia) Equidem non satis scio!

Pat. Memineris, quaeso, istius temporis, quo tibi propter oculorum infirmitatem emplastrum Cantharidum adhibendum fuit, quod tibi mediocrem sane dolorem excitavit. Oblitusne es, quoties tuus animus tuus debilitatus fuerit? Ista vero calamitas brevis erat, neque ultra diem alterum duravit. Credo equidem, te nunc similes casus majori cum constantia laturum; an tu vero putas, te ea jam fortitudine esse, ut omnes Robinsonis calamitates pie atque obedienter sis toleraturus? — Quod siles, o bone, optime respondisti. Tu ipse enim satis judicare non potes, qualem te in tali casu sis praestiturus, quoniam nondum ejus experimentum cepisti. Jam igitur utilissimum nobis esse videtur, ut in levioribus iis calamitatibus, quae nobis forte usu veniant, deo confidere consuescamus, atque animum constantem, et fortem ostendamus. Tunc pectus nostrum in dies fortius reddetur, ad majores etiam calamitates olim a deo sapienter nobis immittendas constanter ferendas.

Jam dies novus oritur, lux autem diei alma miserum Robinsonem in eodem statu solatii expertem

deprehendit, quo ad arborem reclinatus fuerat. Neque enim oculos ejus dulcis somnus subierat, neque animum alia cogitatio, praeter tristem illam, atque luctuosam: „Quid nunc me fiet?“ Tandem se corripit, atque somniantis instar ad domicilium devastatum titubans procedit. Quantam vero fuisse putatis ejus laetitiam, cum prope vestibulum suum inopinato lamas suas dilectas salvas incolumesque obviam sibi prosilientes conspexit. Initio oculis suis vix fidem habuit, brevi autem omnis dubitatio ei exemta est. Accurrunt enim, manus domini lambunt, laetitiamque, quam ex ejus reditu capiebant, exsultando, et balando exprimere gestiunt!

Nunc tandem Robinsonis animus, qui hactenus emortuus videbatur, revixit. Lamas suas intuetur, tunc oculis in coelum sublatis lacrimas laetitiae, atque piae poenitentiae testes profundit. Tum amicos suos receptos laetis blanditiis excipit, iisque comitibus viam ingreditur, domicilii sui conditionem revisurus.

Dieter. Quo modo autem lamae servatae fuerint?

Pat. Verisimile est, eas in collem quendam undis delatas esse, ubi pedibus solo niti possent. Cum vero aqua eadem celeritate evanuisset, qua e nubibus descenderat, in domicilium pristinum rediisse videntur. Jam Robinson, speluncam suam multo minus dirutam invenit; quam veritus erat. Itaque eum puduit animi antea abjecti. Laquear, quod saxo constabat, collapsum quidem erat, atque proximam terrae molem secum traxerat; attamen omnia ista rudera e spelunca removeri posse videbantur; quo facto domicilium multo spatiosius, atque commodius habiturus erat.

Ad hoc accedebat aliquid, ex quo intelligi certissime posset, divinam providentiam haec omnia

non

non Robinsonis castigandi, sed potius conservandi, causa effecisse. Accuratius enim inspecto eo loco, quo saxum illud dependerat, magna cum admiratione cognovit, illud undique terra putri circumdatum fuisse, adeo, ut parum firmiter adhaereret. Verisimillimum itaque erat, illud brevi sponte delapsurum fuisse. Quod quidem deus omniscius praeviderat, atque cognoverat, saxum istud eo ipso tempore collapsurum, quo Robinson in spelunca foret. Cum autem divina sapientia huic homini vitam longiorem designasset, ab initio rerum nostram terram ita formaverat, ut eo ipso tempore in insula ista terrae motus oriretur. Fragor ipse subterraneus, fremitusque procellae, quamvis Robinsoni terrorem injecisset, aliquid ad eum conservandum conferre debuerat. Quod si enim hic terrae motus nullo fragore praevio obortus esset, Robinson sine dubio eo expergefactus non fuisset. Tum vero saxum corruens eum misere interemisset.

Animadvertite igitur, o boni, quemadmodum deus iterum Robinsonis nostri curam eo ipso tempore gesserit, quo ille se a deo neglectum putavit. Iis ipsis adeo rebus, quae illi summa mala videbantur, ad conservandam ejus vitam usus erat. Ejusmodi divinae benignitatis experimenta vos quoque, o mei, olim saepius capere poteritis. Si enim divinae providentiae consilia, quibus erga vos usura est, attente contemplati fueritis, in omnibus vitae calamitatibus, quae vos manent, duplicem hanc rationem verissimam invenietis.

Primo, Homines semper res adversas cogitatione exaggerare; *Secundo*, omnes calamitates dei benignitate, et sapientia nobis immitti, adeo, ut tandem vere nobis conducant.

VESPERA DECIMA.

(Pater narrationem persequitur.)

Robinson jam dudum consuetus, preces cum labore conjungere, in genua primum prostratus deo pro iterata conservatione gratias egit, tum alacri animo se accingit, ad domicilium ruderibus purgandum. Terra quidem ipsa facile removeri poterat; supererat autem ingens illud saxum, fractum quidem in duas partes, sed sic quoque gravius, quam cui movendo unius hominis vires sufficere viderentur. Tentavit Robinson minorem ejus partem provolvere; sed frustra. Cognovit enim hunc laborem vires suas longe superare. Jam iterum meditabundus, atque consilii inops haesit.

Joh. Eho! satis equidem mihi consuluissem!

Pat. Quomodo tandem? —

Joh. Hem! Vectem mihi confecissem, ejus similem, quo nuper in protundendo tigno usi sumus.

Theoph. Tunc equidem abfui! *vectis*? Quid hoc est rei?

Johan. Pertica longa, atque crassa, cujus altera pars tigno, aut lapidi, quem movere velis, subjicitur. Quo facto lapis, aut lignum idoneum perticae supponitur, quam maxime autem prope trabem amovendam. Tum altera pars perticae summa vi deprimitur in tigillum istud; tum trabs se erigit, atque facili negotio provolvitur.

Pat. Quod quomodo fiat, alias vobis exponam; nunc audite, quidnam Robinson fecerit.

Post-

Postquam diu frustra meditatus erat, tandem idem istud consilium ei in mentem venit. Recordatus scilicet est operariorum, quos puer eo modo rem aggredi vidisset, quoties magna pondera movere conarentur. Itaque ejus rei experimentum capere properat. Res feliciter successit. Elapsa vix hora dimidia saxa, quibus amovendis vix quatuor hominum manus suffecissent, e spelunca feliciter provoluta fuerunt. Nunc quoque magna cum laetitia vidit, domicilium suum multo spatiosius, atque tutius esse, quam antea. Jam enim parietes non minus, quam laquear ejus saxo cavo constabant, ne minima quidem rima relicta.

Nicol. Quid autem aranea Robinsonis factum erat?

Pat. Bene me monuisti! Parum abfuit, quin ejus oblitus sim. Nihil autem de ista vobis dicendum habeo, nisi hoc, eam ruderibus laquearis convulsi obrutam, atque sepultam fuisse. Robinson saltem eam nunquam postea conspexit, reliqui vero amici, lamae scilicet, eum de jactura illius consolati sunt.

Nunc ad montem ignivomum, qui vaporem atrum evomere nondum desierat, propius accedere audet. Admiratus est ingentem copiam materiarum liquefactarum, quae longe, lateque diffusae, neque etiam dum refrigeratae erant. E longinquo igitur hac vice spectaculum istud magnificum simul, atque terribile contemplatur, cum timore, tum lava adhuc calida impeditus, quo minus propius accederet. Cum animadvertisset effusionem lavae eum locum petiisse, in quo solana nascebantur, magnopere exterritus est. Timuit nempe, ne effluvia ista ignea totam istam regionem devastassent, neque etiam tranquillitatem pristinam recuperare

perare potuit, donec hunc timorem ut vanum cognovisset. Itaque in eum locum se contulit, atque magno cum gaudio universam plantationem incolumem deprehendit. Continuo statuit, variis in partibus insulae suae solana plantare, ne fructu tam egregio sinistro aliquo casu unquam privaretur. Jam quidem hiemem instare putavit; attamen sperabat fore, ut plantae istae e genere earum essent, quae terra conditae frigoribus laedi non solent.

Qua re confecta, culinae iterum manum adhibuit. Ad eam quoque rite exstruendam terrae motus, horribilis ille quidem, plurimum contulerat. Mons enim ignivomus praeter multas alias res magnam lapidum calcariorum copiam evomuerat, qui in fornace igne emolliri alias solent, antequam calcis maceratae usum praestare possint. Quo quidem isti carere poterant, quod mons incensus fornacis vicem iis praestiterat. Robinsoni igitur nihil faciendum supererat, nisi ut foveam in terra conficeret, lapidibusque calcariis eo conjectis aqua eam repleret, omnemque massam sedulo versaret. Hac enim ratione calx macerata, atque operi caementario idonea reddita est. Tum ei sabulum addit, atque opus facere incipit. Quod quidem tam feliciter ei successit, ut sua ipsius solertia, neque hoc temere, contentus esset.

Interim cum mons fumare desiisset, Robinson ad ejus hiatum accedere ausus est. Latera quoque, et imam partem ejus lava refrigerata opertam invenit. Quoniam vero nusquam vel minimum fumum inde oriri vidit, non sine idonea causa speravit, ignem subterraneum penitus extinctum, neque in posterum similes eruptiones timendas esse. Qua spe confirmatus, alimentis in hiemem instantem colligendis animum adjecit. Hoc consilio octo lamas

mas subinde eodem modo cepit, quo priores captae erant. Istas omnes mactavit, excepto hirco, quem socium tribus suis lamis cicuribus adjunxit, maximamque carnis partem in culina suspendit, ut fumum duceret. Istam vero antea per aliquot dies sale condivit, quoniam matrem domi eadem ratione uti meminerat.

Jam igitur non contemnendam copiam carnis nactus erat. Nihilo minus tamen veritus est, eam sibi non suffecturam, si forte hiems asperior, et longior futura esset. Itaque nonnullas etiam lamas capere optavit; sed haec spes eum fefellit. Animalia enim ista insidiis ejus cognitis cavere sibi didicerant. Novum igitur inventum excogitandum erat, quo iis potiretur. Neque hoc ei non successit. Inexhausta enim animi humani vis esse solet in reperiendis felicitatis promovendae consiliis, modo rite exerceatur. Animadverterat nimirum lamas, quoties eum ad fontem conspexissent, semper magna cum properatione trans collem quendam in arbusta aufugientes. Ejus collis pars altera dumetis cincta, post ea autem paries praeruptus erat, duarum fere ulnarum altitudine. Inde lamas super dumeta ista saltu se dejicientes cernit, quod quidem ei suffecit. Statuit nimirum, foveam profundam eo loco conficere, qua lamae desuper prosilientes caperentur. Labore quoque indefesso intra paucos dies novum hoc consilium effectum est. Tum foveam virgultis texit, postero autem die magnopere laetatus est, cum duo animalia satis magna in eam desilire, atque capi animadvertisset.

Jam carnis idoneam copiam habere sibi visus est. Admodum vero sollicitus fuisset de ea per hiemem conservanda, nisi divina providentia ipso

terrae

terrae motu ei probabilem cellam prospexisset. Prope speluncam scilicet alia montis pars ad duarum circiter ulnarum altitudinem depressa, eoque altera spelunca confecta erat, ostio quoque in vestibulum Robinsonis pervio. Sic igitur culinam, atque cellam domicilio adeo vicinas habuit, ut studio, et arte factae viderentur.

Nunc Robinsoni triplex opus faciendum superat, ut per totam hiemem, quam instare putabat, rebus necessariis instructus esset. Foenum lamis parandum, ligna ad ignem fovendum conquirenda, solaniorum tubera effodienda erant, ut ea quoque cella conderet. E foeno, cujus magnam copiam collegerat, acervum figura pyramidali struxit, quales agricolae nostri struere solent. Quoties vero foena adderet, tantopere ea conculcavit, ut pluvia non facile penetrari possent. Quo in labore primum imperitiae poenas dedit. Etenim non satis providus in siccando foeno fuerat. Quo quidem neglecto foena conculcata incalescere, vaporem emittere, atque etiam incendi solent. Hujus rei nullam notitiam in juventute ceperat, quippe, qui nunquam agriculturae operam dedisset. Nunc autem intellexit, quam utilissimum esse, omnia observare, atque quam plurima discere, etiamsi non praevideas, quidnam tibi olim profutura sint.

Itaque vehementer obstupuit, cum subito acervum foeni fumantem conspexisset. Maiori etiam admiratione perculsus est, cum manu immissa sensisset, foenum interius penitus incaluisse. Neque etiam non putavit, verum ignem in acervo esse, etsi minime intelligebat, qua ratione eo penetravisset. Extemplo igitur ad diruendum foenum se accingit. Iterum autem obstupuit, cum nusquam

ignem

ignem in eo invenisset, sed potius foena vehementer incalescentia, atque humida. Tandem quoque veram rationem ejus rei invenit; solam nempe humiditatem esse, qua foenum istud incaluerit, quamquam ejus rei causam satis intelligere non poterat.

Joh: Quomodo tandem fieri potest, ut sola humiditate aliquid incalescet?

Pat. Innumerabilia ejusmodi sunt in rerum natura, carissime Johannes, de quibus animi humani vis, quae tot saecula in iis explicandis versata est, multa feliciter detexit. Causae autem eorum in ea disciplina traduntur, cujus nomen vix etiam cognovistis; *physicam* vocant, aut doctrinam de rerum natura. In ea quoque istius rei satis notabilis causae exponuntur cum causis multarum rerum mirabilium, quas natura prodit. Quodsi vero perrexeritis in iis rebus, quas nunc vos docemus, addiscendis, eandem diligentiam adhibere, doctrina ista jucundissima vos imbuemus. In praesentia supervacaneum foret, de ea exponere, quoniam me dicentem non satis intellecturi essetis.

Robinson igitur denuo foena siccat, tum novum acervum struit, ventorum, tempestatumque injuriis parem. Insuper, ut etiam magis defenderetur, tectum arundineum confecit, haud infirmius iis, quae nostri homines e straminibus facere solent. Dies proximos lignis siccis colligendis impendit. Tum tubera solanorum effodit, idoneamque eorum copiam collegit. Quibus cella conditis, omnia mala citrea, quae quidem maturuissent, decussit, ut ea quoque in hiemem instantem conservaret. Iam vero de suo ipsius victu durante frigida anni tempestate sollicitus esse desiit. Ista autem expectationem ejus fefellit; neque venit, licet exacto

menso

mense Octobri. Pluere potius sine ulla intermissione coepit, ut aer in aquam mutatus videretur. Cujus rei causas Robinson intelligere non potuit. Quatuordecim dies exacti erant, quibus domicilio suo non longius egressus esset, quam ut in cellam, ad acervum foeni, et ad fontem se conferret alimentorum sibi, lamisque suis petendorum causa. Reliquum tempus omne velut capto ei degendum fuit. Ehem! quam tardum tempus tunc ei processit! Quam enim ingratum sit otium cum solitudine conjunctum, vos, o mei, cogitare nequitis. Lubenter ille quidem ei, qui librum aut chartam cum atramento, et penna ipsi praebuisset, pro quolibet folio vitae suae aliquam partem dedisset! Eheu, tum saepe ingemuit, me stultum olim puerum, qui interdum scribere, aut legere molestum, desidiam vero jucundam, putaverim! Liber vilissimus nunc mihi magnus thesaurus foret; unum chartae folium, cum theca scriptoria regnum mihi esset.

Quo ingrato otio coactus variis rebus occupari coepit, quas nunquam antea tentavisset. Jam diu consilium ollae, aut lampadis conficiendae animo foverat; utraque enim conditionem, suam longe meliorem redditum iri putabat. Itaque ne pluviae quidem vehementia eum impedivit, quo minus terrae argillaceae idoneam copiam sibi conquireret. Quo facto opus aggreditur. Quod quidem non statim ei ex voto cessit, sed potius iterum, iterumque labor irritus fuit. Cum autem nihil esset, in quo lubentius occuparetur, minime eum piguit, opus suum, absolutum quidem at nondum idoneum, confringere, atque denuo ordiri. Sic igitur nonnullos dies grato in labore transegit, donec tandem ollam cum lampade penitus absolvisset, ambae vero tam scite formatae essent,

ut temeritatis fuiſſet, eas iterum conſtringere. Itaque in culina prope ignem eas poſuit, ut paullatim areſierent. Tum alias etiam ollas, cacabos, et catinos varia figura, atque magnitudine formare inſtituit; quo diutius autem in iis formandis verſaretur, eo majorem dexteritatem adeptus eſt.

Interim pluvia continuata eſt. Quam ob rem Robinſon neceſſitate coactus varia opera domeſtica facere inſtituit, ne plane otio frangeretur. Proxime autem operam ſuam conficiendo reti piſcatorio navat. Jam antea idoneam copiam funiculorum contorſerat, quae ipſi nunc egregium uſum praeſtitit. Cum enim otio abundaret, et patientiſſimus laboris vel decies iterandi eſſet, donec feliciter ſucceſſiſſet, tandem artem nodorum rite faciendorum invenit, tantamque in ea dexteritatem acquiſivit, ut foeminas, puellasque noſtras reticula facientes aequaret. Scilicet inſtrumentum ligneum, acui reticulariae ſimile excogitaverat, cultroque lapideo exſculpſerat. Cujus ope tandem rete confecit eadem fere praeſtantia, ac utilitate, qua noſtrorum hominum retia piſcatoria eſſe ſolent.

Tum in cogitationem arcus ſagittarumque conficiendarum incidit. Hui! quanto ſtudio animus Robinſonis incaluit, cum hoc conſilium meditando perſecutus eſſet. Permagnae enim utilitates erant, quas arcum ſibi praeſtiturum eſſe putabat! Ejus ope lamas interficere, aves dejicere, et quod potiſſimum erat, ſe ipſum in domicilio ſuo defendere poterat, ſi forte homines feri eum adorturi eſſent. Itaque deſiderio arcus perficiendi exarſit, pluviaeque nulla ratione habita ad conquirendum lignum arcui idoneum procurrit, Cui tamen conſilio cum quodlibet lignum aptum non exiſtimaret,

let, ejusmodi quaesivit, quod durum simul, atque lentum esset, ut et facile flecteretur, et in pristinam figuram redire niteretur.

Johan. Quod *elasticum* esset! nonne?

Pat. Recte dixisti! Non putaveram, vos hujus verbi significationem comprehendisse; propterea illud adhibere nolui.

Ejusmodi ergo lignum inventum, atque decisum domum deportat, confestimque opus aggreditur. Quam vero tunc sensit inopiam cultri idonei! Vicesima enim sectione vix tantum profecit, quantum cultris nostris chalybeis uno ictu proficimus. Octo etiam dies integri huic labori impendi debebant, quamquam ab ortu usque ad occasum diei operi intentus fuerat. Novi, qui laborem hunc non aeque continuassent!

Theoph. (ad ceteros) Nos pater arguere videtur!

Pat. Rem acu tetigisti, Theophile! An tu vero me falli putas?

Theoph. Minime falleris! — In posterum autem equidem laborem semel institutum nunquam intermittam, donec perfecero!

Pat. Prudenter feceris! Robinsoni certe hoc multum profuit! Magnopere ille laetatus est, cum arcus nono die perfectus esset, neque praeter nervum, et sagittas quidquam ei deesset. Quod si tum, cum lamas mactavit, animum in eam rem advertisset, ex ilibus earum chordas conficere tentavisset, quoniam eum non fugiebat, Europaeos istas ex iliis ovium conficere. Nunc autem funem quam firmissimum contorsit, tum ad sagittas faciendas se accinxit. Jam si ferrum habuisset cuspidi sagittis

tis addendae idoneum, quanti, quaeso, hoc aestimasset! Frustra autem hoc optavit. — Dum igitur in ostio speluncae stans secum reputat, quidnam cuspidis ferreae loco adhibeat; forte oculos in massam auri conjecit prope ipsum temere adhuc jacentem. Apage te, inquit, dum pede eam protrudit, apage te, futilis res, atque in ferrum mutare, siquidem in honore apud me esse velis. Tum autem eam vix adspectu porro dignatus est.

Qua re diu mente agitata, tandem meminit se audire homines feros ossibus magnorum piscium, aut etiam lapidibus acutis uti ad sagittas, hastasque acuendas. Quod utrumque statim aggressus est. Ad littus nempe accurrit, ibique ossa piscium, lapidesque quam maxime idoneos consilio suo invenit. Tum perticam longam, et rectam hastae conficiendae aptam amputat, pluviaque madidus domum revertitur. Diebus aliquot elapsis hasta sagittaeque perfectae sunt. Hastae lapidem praeacutum, sagittis ossa piscium robusta alterique earum parti pennas alligat, quibus celeritas earum in volando augeri solet. Quo facto in arcu experimentum cepit. Qui quidem, etsi propter ferramentorum defectum non satis idoneus erat, dejiciendis avibus aliisque animalibus minoribus sufficere ipsi visus est. Neque etiam dubitavit fore, ut hominem ferum nudumque, siquidem satis appropinquasset, eo vehementer vulneraret. Hasta vero multo magis etiam contentus esse poterat.

Jam ollae, et lampas satis siccatae visae sunt. Itaque iis uti constituit. Primum aliquam partem adipis, quem ex iliis lamarum mactatarum nactus erat, cacabo recens facto immisit, ut liquefieret, oleique vicem praestaret. Hic autem non sine magna aegritudine animadvertit, adipem liquefa-

ctum in argillam cacabi penetrare, atque in exteriori ejus parte exundare, lampadem et ollas eodem vitio laborare, eamque ob rem parum idoneas fore; sic quoque rem habere invenit. Ingrata sane res! Magna cum voluptate ille speraverat, fore, ut brevi tempus vespertinum ad lumen degeret, atque tandem aliquando jure calido vesceretur. Nunc autem grata haec spes penitus evanuit.

Dieter. Rem sane iniquam narras!

Pat. Iniquissimam profecto; novi equidem quosdam, quos ejus negotii taeduisset, quique plane illud abjecissent. Robinson autem patientiam didicerat, nihilque imperfectum relinquere constituerat, quod quidem ullo modo a se perfici posse existimasset. Itaque in angulo quodam speluncae meditationi consecrato consedit, frontemque fricuit. Quidnam tandem causae est, secum reputat, quod ollae Europaeorum, quae non minus argilla constant, tanto compactiores sint meis, nihilque imbibant? — Hem! hoc eo fit, quod *vitro incrustatae* sint! — *Vitro incrustatae?* Ehem! Quidnam istud fuerit? — Quomodo hoc effecerint? — Hui! me invenisse credo! Sic res se habet! Nonne enim olim legi, praeter arenam alias quoque materias, argillam adeo, vitri indolem habere, igneque vehementi in vitrum vere mutari posse? — Ita sane isti fecerint! ollas fornaci candenti committunt, cum autem argilla liquescere coepit, eas inde auferunt, ne penitus vitrescant. — Sic est; sic est! Hoc equidem imitabor!

Dictum factum! Ignem permagnum in culina accendit, qui cum vehementissime flagraret, unum e cacabis suis in eum immisit. Iste autem cum paulo post ruptus esset, eheu! Robinson exclamavit,

mavit, hoc non putaveram! Tum iterum in angulum meditaturus concessit. Hem! Secum reputavit, quomodo tandem hoc evenerit? — An vero unquam ejus simile quidquam expertus sum? Omnino equidem! Cum nos olim vitrum aqua, aut cerevisia frigida repletum fornaci calido imposuimus, ut calefieret, nonne illud tunc etiam ruptum est? — Quando autem non ruptum est? Cum fornaci impositum fuit, antequam ille incaluisset, aut etiam charta supposita — Euge! rem teneo! Vas istud non subito igni flagranti committendum, sed sensim calefaciendum est. Cavendum quoque, ne altera pars prior incalescat. Macte ingenio tuo! Robinson! laetus ipse exclamat, atque exilit, rem iterum tentaturus. Quod quidem melius etiam successit. Cacabus ruptus non est; attamen crustam vitream non duxit.

Cur tandem istam non duxerit? iterum Robinson secum reputat. Ignis quidem satis vehemens fuisse videtur. Quid autem nunc etiam defuerit? — Re diu meditata tandem veram rationem invenisse sibi visus est. Rem nimirum tentaverat in igne fornace non incluso, sed potius aeri exposito. Inde calor justo citius dissipatus atque in omnes partes diffusus erat, adeo ut argilla satis excandescere non posset. Quoniam autem statuerat nihil imperfectum relinquere, fornacem idoneum constanti animo exstruere sibi proposuit. Huic vero negotio commodior anni tempestas expectanda erat. Pluvia nempe nondum cessaverat, sed duobus tandem mensibus elapsis coelum serenitatem pristinam recepit. Nunc Robinson hiemem adventare putavit; ecce autem hiemem jam exactam! Vix ille oculis suis fidem habuit, cum alma veris virtute nova gramina, novos flores, novos surculos progerminantes cerneret. Attamen

res ita vere se habuit. Etsi enim ejus rei caussam non intelligebat, tamen eam oculis suis cernebat. Hoc profecto, ita se ipsum allocutus est, me cautum reddet, ne in posterum statim quidquam rejiciam, cujus rationem animo perspicere nequeam.

Mat. Haec locutus nonne ad lectum se contulit.

Theoph. Eho! mater, nimis etiam alacres sumus!"

Pat. De isto, quidem satis mihi non constat. Quoniam vero in aliquo commentario de solitaria Robinsonis vita in hac insula acta nihil amplius de hoc die commemoratum invenio, ipsemet credo eum his dictis ad lectum se contulisse. Sic nos quoque faciamus, ut crastino mane cum sole simul surgere possimus!

VESPERA UNDECIMA.

Theoph. Nunc equidem, pater, Robinsonis vicem subire velim.

Pat. Itane putas? — *Theoph.* Sane quidem; nunc enim omnibus rebus necessariis instructus est, praeterea quoque vivit in regione adeo fortunata, ut expers etiam hiemis sit.

Pat. „Omnibus rebus necessariis? — *Theoph.* Dubitas etiam? nonne enim solana, carnem, sal, mala citrea, pisces, testudines, ostreas nactus est? nonne vero e lacte lamarum butyrum, et caseos conficere potest?

Pat.

Pat. Istud quidem jam ex aliquo tempore fecit; nihil nisi oblitus eram hoc dicere. — *Theoph.* Hem! arcum, et hastam insuper habet, idoneum quoque domicilium? quidnam illi optandum superest?

Pat. Robinson ista omnia magni aestimavit, deoque gratias propterea egit; nihilo minus autem dimidia vitae futurae parte carere maluisset; modo navis ad insulam appulisset, quacum in patriam redire potuisset.

Theoph. Hem! quid tandem ei defuit? —

Pat. Plurimum, ne dicam omnia! Caruit ille iis rebus, sine quibus vera felicitas in terris cogitari non potest, hominum scilicet societate, amicorum mutuo amore. Sejunctus a parentibus, quos vehementer afflixerat, sejunctus ab amicis, quos nunquam revisurus erat, sejunctus ab universo hominum genere — eheu! quamnam voluptatem e maxima omnium rerum, quae ad corporis cultum pertinent, abundantia, ille in conditione sua tristi capturus erat? Fac, quaeso te, periculum unius diei in solitudine degendi, senties profecto inopiam vitae solitariae. Praeterea quoque permulta Robinsoni defuerunt, quae ad victum, cultumque vitae requiruntur. Omnes ejus vestes diuturno usu sensim contritae erant, neque ullam novarum conficiendarum rationem videbat.

Johan. Vestibus ille quidem facile carere potuisse videtur in insula ista, cujus coelum tam mite fuit, ut ne hiemi quidem obnoxium esset. — *Carol.* Fi! tunc nudus incedere debuisset.

Pat. Adversus frigoris injurias vestibus illi quidem opus non erat; tanto magis autem adversus insecta, praesertim musquitones, quibus insula ista abundabat. — *Nic.* Quaenam ista animalia sunt,

quae tu musquitones vocas? — *Pat.* Muscarum e genere, quae autem longe majorem dolorem morsu excitant, quam nostrae muscae solent. Magnam illae calamitatem regionum torridarum incolis afferunt, e morsibus enim earum tumores oriuntur, qui non minore dolore homines excruciant, quam apud nos apum, aut vesparum morsus. Manus atque facies Robinsonis perpetuo iis tumidae erant. Quanti, quaeso igitur, cruciatus eum manebant vestibus penitus laceratis! Neque hoc tempus longinquum erat.

Accedebat ad hanc calamitatem, quod parentum, societatisque humanae desiderio animus ejus saepe tenebatur. Quam ob rem saepius ingemuit, quoties e littore oculis desiderio madidis trans oceanum immensum spectaret, neque praeter aquam, et coelum quidquam conspiceret. Quantopere tunc animus ejus spe elatus est, cum e longinquo nubeculam supra coeli fines exsurgere vidit, quam cogitatione in navem malis, velisque instructam ipse transformabat. Quoties vero tunc errorem suum animadvertit, eheu! quantis lacrimis genae ejus redundaverunt, quanta animi aegritudine oppressus domum rediit!

Carol. Deum optimum, maximum enixe rogare debebat; is profecto ei navem praebuisset.

Pat. Hoc ille quidem fecit, mea Carolina, dies noctesque deum imploravit, ut se in libertatem vindicaret. Attamen oblitus non est iis precibus addere: *Tua, Domine, voluntas, non mea fiat!*

Carol. Cur ita fecit? — *Pat.* Quoniam nunc certissime ipsi persuasum erat, deum multo melius nobis ipsis intelligere, quid nobis expediat. Itaque putavit, patrem suum coelestem non sine idoneis,

atque

itque sapientibus causis se diutius in exilio retenturum, etiamsi ipse eas non intelligeret. Quapropter ita ab eo reditum e captivitate petendum sibi existimavit, ut sapientiae divinae consiliis non repugnaret.

Verens autem, ne aliquando navis hanc insulam praeter veheretur, aut etiam apud eam anchoras jaceret, cum ipse in littore non versaretur, in lingua terrae procurrenti signum erigere statuit, ex quo advenientes calamitatem suam cognoscerent. Signum illud tigno constitit, e quo vexillum dependebat.

Nicol. Unde autem vexillum istud sumsit?

Pat. Hoc equidem tibi dicam. Indusium Robinsonis nunc adeo attritum erat, ut plane inutile esset. Itaque maximam ejus laciniam elegit, eamque palo erecto, vexilli loco, alligavit. Quo facto inscriptionem quoque palo addere optavit, ut conditionem suam afflictam apertius etiam significaret: Quomodo autem hoc effecturus erat? — Nullam aliam ejus rei rationem invenit, nisi ut litteras cultro lapideo insculperet. Incertus autem erat de lingua, qua in inscriptione facienda uteretur. Quod si enim linguam germanicam, aut Anglicam elegisset, fieri poterat, ut navis Francogallica, aut Hispana, aut Lusitana appelleret, in quibus nemo eorum verborum significationem intellexisset. Forte nonnullorum verborum latinorum recordatus est, quibus votum suum exprimeret. —

Theoph. Hem! istane ab omnibus intellectum iri putavit? —

Pat. Lingua latina, uti scitis, cunctas Europae nationes tenet, omnesque, qui liberali institutione usi sunt, aliquam certe ejus partem intelli-

 gunt:

gunt. Propterea Robinson speravit fore, ut in qualibet navi, quae ibi appelleret, aliquis saltem esset, qui inscriptionem istam calleret. Itaque eam confecit.

Johan. Quibusnam verbis illa constabat? — Pat. *Ferte opem misero Robinsoni!*

Jam inopia calceorum, et tibialium Robinson maxime laboravit. Istis scilicet sensim penitus dilaceratis, musquitones nudos ejus pedes tantis doloribus afficiebant, ut vix tolerari possent. Facies, manus et pedes ejus inde a pluviae tempore, quo insectorum numerus magnopere auctus erat, morsibus istorum adeo cum dolore intumuerant, ut humanorum membrorum vix etiam similes essent. —

Quoties tum ille in angulo suo meditabundus consedit, ut corporis tegendi rationem inveniret! Sed frustra; carebat enim instrumentis, atque scientia ad ejusmodi tegumentum conficiendum necessaria. Tandem pelles lamarum mactatarum facillimam se ipsum vestiendi rationem praebere ipsi visae sunt. At istae crudae, rigidaeque erant, neque unquam ille curiosus fuerat de ratione praeparandarum pellium crudarum, qua cerdones utuntur. Quod si vero hanc tenuisset, nec acu, nec filis instructus erat, quorum ope e corio vestimentum consueret.

Interim necessitas eum urgebat. Neque enim die opus facere, neque noctu quiescere potuit propter muscarum injurias. Itaque necesse erat, ut aut huic malo mederetur, aut miserabiliter periret.

Dirt. Quem in finem deus insecta ista creaverit, cum tamen nihil nisi molestias nobis excitent?

Pat. Quo consilio me, aliosque homines a deo creatos putas?

Dir-

Dieter. Scilicet, ut felicitate frueremur!

Pat. Quidnam vero deum impulerit, ut hoc vellet?

Dieter. Quia nimirum benignissimus est, neque solus felicitate frui voluit.

Pat. Recte dixisti! Nonne vero existimas, insecta ista quodam felicitatis genere frui?

Dieter. Fruuntur sane! Cernimus enim, quam ea laetari soleant solis radiis recreata!

Pat. Hem! intelligisne igitur, cur ista quoque a deo creata sint? Voluit nempe, ut in terra sua laetarentur, eaque felicitate fruerentur, quae naturae eorum conveniret. Quod consilium nonne benignissimum, deoque optimo dignissimum est? —

Dieter. Equidem existimo, fieri potuisse, ut deus ejusmodi tantum animalia crearet, quae neminem laederent!

Pat. Tu vero deo gratias age, quod ita non fecerit!

Dieter. Cur tandem?

Pat. Quoniam neque ego, nec tu, nec quisquam nostrum hac lege creati fuissemus!

Dieter. Qua de causa?

Pat. Quia nos profecto e genere animalium rapacissimorum, atque voracissimorum sumus. Omnia enim reliqua animalia non modo serviunt nobis, sed nos ea quoque interficimus pro arbitrio, vel, ut carne eorum vescamur, vel, ut pellibus eorum potiamur, atque nobis, quamvis minimam molestiam excitant. Quanto magis igitur insectis liceat quaerere, cur tandem deus hominem, animal crudelissimum creaverit? Quidnam tu vero muscae ita quaerenti responsurus esses?“

Dieter. (haeret) Hem! — hoc equidem nescio!

Pat. Ego vero sic fere ei responderem: quod ita quaeris, bona musca, audacter sane facis, eoque, ingeniolum tuum non satis excultum esse, ostendis. Alioquin enim facili negotio intellexisses, deum sola benignitate ductum multa animalia ita creasse, ut sibi invicem victui essent. Quodsi enim hoc non fecisset, ne dimidiam quidem eorum partem creare potuisset, quoniam gramina cum fructibus non nisi paucis animantium generibus suffecissent. Ut igitur universus terrarum orbis animalibus ornaretur, ut ubique, in aqua, aere, et terra animalia essent, quae quoad viverent, vitae gaudiis fruerentur, ne quoque numerus unius animantium generis in alterius perniciem nimis augeretur, sapienter quidem deus optimus instituit, ut quaedam animalia aliis vescerentur. — Praeterea quoque, ineptula, in mentem tibi non venisse videtur; id quod nos homines certissime scimus, hanc vitam cunctarum rerum a deo creatarum, tuam quoque, o musca, non esse nisi primordium, nisi auroram vitae aeternae, atque fieri posse, ut olim multa a nobis melius intelligantur, quae nunc plane non perspicimus. Tunc tu fortassis etiam intelliges, quidnam tibi, aliisque profuerit primum sanguine nostro satiari, tum vero ab hirundine capi, aut ab hominibus violenter interfici. Interim memento te muscam esse, quae de consiliis dei sapientissimi, atque optimi parum acute judicare possit; nos autem exemplum ejus modestiae tibi praeibimus.

Quid tibi videtur, Dieterice? putasne muscam, siquidem ratione utatur, hoc responso contentam fore?

Die-

DIETER. Equidem eo contentus sum!

PAT. Itaque ad Robinsonem nostrum revertamur! Quem quidem necessitas coegit, qualicunque ratione inopiae suae consulere. Pellibus igitur protractis, cultro lapideo, sed non sine magno labore, calceos primum, tum tibialia quoque ex iis confecit. Quae cum consuere non posset, nihil nisi foramina in iis fecit, quorum ope filis contortis pedibus ea alligaret. Quae quidem omnia magna cum molestia conjuncta erant. Etsi enim partem asperiorem extrinsecus vertit, perpetuo tamen pedes uri sensit, corium quoque quippe rigidum atque durum, cutem Robinsonis, quoties loco moveretur, adeo vulneravit, ut vehementissimo dolore inde afficeretur. Attamen hunc dolorem perpeti maluit, quam musquitonum morsus.

Ex alio quodam corio curvo item et rigido larvam confecit, cui praeter duo foramina, quae oculis inservirent tertiumque, quo spiritum ore duceret, nulla incidit. Quo in labore cum versaretur omnino non discedere ab eo statuit, donec tandem tunicam, braccasque e pellibus lamarum perfecisset. Ad quod efficiendum majori quidem animi contentione opus fuit. Quid autem est, quod sine labore effici ab hominibus queat? Nihil vero tam arduum est, quod non patientia, et industria adhibita perficias — Robinsoni quoque opus institutum ex sententia cessit, quod eum magna laetitia affecit. —

Tunica tribus partibus constabat, quae funiculis junctae erant; duae brachiis, tertia ventri inserviebat. Braccae, earum instar, quibus uti solemus, cum equo vehimur, duabus quoque partibus constabant, anteriori, et posteriori; circa utrumque latus vero funiculo connectebantur.

Utrum-

Utrumque statim, simul ac perfectum erat, induit vestem vero Europaeam semilaceram, non nisi diebus festis, aut natalibus parentum, quos sanctissime colebat. — Jam Robinsonis habitus sane singularis fuit! A capite usque ad calcem pellibus asperis involutus, gladii loco securi magna armatus, ab humeris demissam peram venatoriam, arcum cum fasciculo sagittarum, in dextra hastam multo longiorem ipso, in sinistra umbellam textam, atque foliis Cocossae obsitam, pilei loco corbem praeacutam pellibus asperis non minus obsitam in capite gerens, dum incedit — cogitate, quaeso, qualis ejus aspectus fuerit! Nemo sane, qui eum sic incedentem vidisset, hominem eum putavisset. Risit quoque ipse, cum primum toto isto habitu se ornatum in rivo conspexit.

Tum noster ad opus figulinum revertitur. Fornax brevi perfectus fuit; quo facto experiri statuit, num vehementissimo igne adhibito crusta vitrea ollas inducere posset. Itaque eas cum cacabis in fornacem immisit, sensimque ignem tam vehementem accendit, ut ille penitus incandesceret. Quem ignem cum usque ad vesperam fovisset, sensim eum extinxit, cupidissimus videndi ejus rei eventum. Quid autem invenit? Prima, quam protraxit, olla nihilo magis vitrata fuit, neque secunda, neque etiam reliquae.

Cum autem postremo quendam e cacabis intueretur, magna cum laetitia atque admiratione invenit, eum solum crustam vitream in fundo duxisse. Hic vero plane aqua ei haesit. Quaenam tandem, inquit, causa fuerit, quod iste quidem cacabus leniter incrustatus sit, cum tamen eadem argilla constet, et eadem fornace ac cetera vasa ustus sit? Diu animum in omnes partes versat, ne-

que

que tamen ejus rei idoneam causam invenit. Tandem meminit, in cacabo isto aliquantulum salis esse, cum eum fornàci committeret. Itaque non dubitavit hanc solam incrustationis ejus causam fuisse.

Joh. Num autem haec vera rei origo fuit?

Pat. Verissima! Europaei jam diu hoc calluerunt, quod Robinson fortuito nunc invenit. Solo nimirum sale admisto multa in igne vitrescunt. Itaque nihil ei opus fuisset, nisi ollis aquam salsam illinere, aut etiam salis idoneam portionem in fornacem candentem conjicere. Quo facto ollae statim crustam vitream ducturae fuissent. Ejus rei experimentum proximo die facere statuit. Jam ignis sub fornace flagrat, jam vasa nonnulla aqua salsa illita sunt, alia autem sale sicco ab eo impleta, ut utrumque simul experiretur. Sed medio in opere casu quodam impeditus est, quem jam diu metuerat. —

In *morbum* incidit. Stomachi, capitis quoque doloribus affectus est, magna corpus suum infirmitate laborare sensit. Nunc igitur summa calamitas, quae unquam hominem opprimere possit, ei instat. Bone deus, apud se cogitavit, quid me fiet, cum e strato non amplius surgere potero? cum neminem habebo, qui mei curam gerat, atque inopiam meam humaniter levet? Nullum amicum, qui gelidum mihi morienti sudorem detergeat, aut qui me recreet? — Eheu! quid me fiet? —

His dictis summo animi angore et deliquio oppressus in terram collabitur. Nunc certe, si unquam, firma in deo omnipraesenti, atque benignissimo fiducia magnopere Robinsoni opus fuit. Quid enim eum auxilio hominum orbatum viribus propriis exhaustum nunc prohibuit, quin misere periret? Deus profecto, Deus solus, neque

prae-

praeter eum quisquam in orbe terrarum! — Jam mortis cum periculo conflictatus est. Manibus arctissime junctis, vocis vero, atque sensus expers, oculos immobiles in coelum defigit. Alme Deus! miserere mei! — Haec verba sola subinde magno cum gemitu protulit. Neque tamen propter angorem diu quiescere potuit. Extremis viribus conisus, quae ad se curandum maxime necessaria viderentur, pone stratum congerit, ut si morbi vehementia a surgendo prohiberetur, haberet tamen, quo recrearetur. Non sine magna molestia nonnullas testudines aqua repletas apportat, atque apud lectum suum collocat. Tum aliquot tubera frixa, et quatuor mala citrea, quae reliqua habebat, eis addidit. Quo facto infirmitate oppressus in lectum miserabiliter collapsus est.

Quod si nunc deo placuisset, Robinsonem morte repentina ex hac vita tollere — ó quam lubenter ille obiisset! Ausus quoque est hoc deum rogare; mox autem preces istas velut minime pias reprobavit. Nonne enim, secum reputat, Deus me paterno amore complectitur? nonne ab eo vitam accepi? nonne benignissimus, sapientissimus, et potentissimus est? Quomodo igitur audeam ei praescribere rationem, qua mecum agat? Nonne enim ille optime intelligit, quid mihi expediat, aut non ita mecum aget, ut mihi maxime conducere, ipsi videbitur? Ita profecto faciet, deus optimus, atque potentissimus. Quiesce igitur anime curis oppresse! Deum respice, pectus sollicitum! Deum inquam, summum in omnibus afflictionibus praesidium. Erit tibi certe auxilio in discrimine vitae, ac mortis.

His dictis animum confirmat, atque in genua erectus ex intimo pectore has preces fundit: tibi me

me totum trado, pater, paternis tuis consiliis me committo. Tu mecum agas, utcunque tibi placuerit! Paratus equidem sum ad omnia perpetienda, quaecunque tu mihi prospexeris; tu mihi vires iis tolerandis pares suppeditabis. Ut autem eas mihi suppedites, pater, unice te rogo. Da mihi patientiam, et fiduciam in te firmam! Exaudias, quaeso, has meas preces, unicas, enixasque calamitatibus oppressi preces!"

Jam febri vehementi correptus est. Quamquam pellibus lamarum se totum texerat, a frigore se defendere tamen non potuit. Quod frigus duas fere horas duravit. Tum calor tam vehemens insequitur, ut ignis per ossa ejus currere videretur. Pectus vehementi arteriarum pulsu concutitur, velut eorum solet, qui e celerrimo cursu anhelent. Tanta autem ejus imbecillitas fuit, ut vix testudinem aqua repletam ori adhibere ad recreandam linguam valeret. Tandem sudoris magnae guttae promanant, quo ille aliquantulum levatus est. Postquam horam circiter sudando consumserat, paullatim sui conscius fieri coepit. Jam vero magnopere sollicitus de igne, metuens, ne extingueretur nullis lignis recentibus subjectis, quamvis infirmissimus prorepsit, idoneamque ligni copiam, qua ignis usque ad diem crastinum nutriretur, in focum conjecit. Nox enim oborta erat! Qua quidem nocte tristiorem nunquam ille degerat. Frigoris enim, et ardoris vicissitudo non cessavit; acerbissimis capitis doloribus excruciatus, neque somno recreatus est. Quae res tantopere eum debilitavit, ut proximo mane vix ad ligna prorepere valeret, ignis sustentandi causa.

Sub vesperem morbus ingravescit. Iterum ad ignem prorepere conantem vires deficiunt. Itaque

 omnis

omnis spes ejus conservandi nunc abjicienda fuit, quod quidem parum ejus animum perturbavit, cum speraret fore, ut brevi moreretur.

Nox ista superiori similis fuit. Ignis interim extinctus est, aqua reliqua in testudinibus putrescere coepit, Robinson autem adeo viribus exhaustus est, ut vix se commovere valeret. Mortem quoque appropinquantem sentire sibi visus, tantam inde laetitiam cepit, ut ea ipsa confirmatus pias etiam preces funderet, quibus animum suum ad mortem subeundam rite praepararet.

Deum peccatorum veniam iterum supplex rogavit. Quo facto gratias ei pro beneficiis sibi indigno homini, collatis egit; imprimis autem pro calamitatibus sibi ad se emendandum immissis, quarum summam utilitatem nunc sane quam maxime agnovit. Postremo parentibus suis miseris solatium, atque felicitatem precatur, tum animum immortalem aeterno dei patris amori commendavit, et cum se composuisset, laeta cum spe mortem expectavit. Quae quidem gradum corripere etiam visa est. Angoribus enim ingravescentibus pectus anhelare, atque suffocari coepit. Jamjam extremum spiritum ducere videtur. Vehementissimo angore compressum pectus respirare cessat; Robinson convulsionibus correptus, caput inclinat, atque sui conscius esse desinit.

Tum omnes paullulum conticuerunt, memoriamque amici, quem nunquam viderant, moerenti animo prosequuti sunt. — Miser Robinson! nonnulli ingemiscunt. Bene cum eo actum est, ceteri inquiunt, quod ab omnibus calamitatibus nunc liberatus sit! — Sic universi hac vespera majori cum gravitate et silentio discesserunt.

VESPE-

VESPERA DUODECIMA.

Cum omnes denuo ſub malo conveniſſent, pater autem aliquid in promtu habere videretur, quod parvulis ſuis jucundum eſſet, rogavit eum Carolina; „quidnam, dulciſſime pater, hodie nobis narrabis?"

(Univerſi vero interim corbes texere didicerant, in eoque nunc occupati erant.)

„De Robinſone," pater reſpondet, quod omnes magnopere mirati ſunt.

Carol. Hem! nonne ille mortuus eſt?

Joh. Tace, quaeſo, Carolina! Reviviſcere ille potuit; nonne meminiſti nos nuper etiam credere, eum obiiſſe, cum tamen revixerit?

Pat. Robinſon quod quidem poſtremo audivimus, convulſionibus correptus, capite inclinato, ſui conſcius eſſe deſiit. Neque tamen ſatis conſtitit, verene mortuus an tantum vehementi animi deliquio oppreſſus fuerit? Diu quoque ſenſu plane orbatus jacuit. Tandem praeter omnem expectationem ſenſus in animum ejus rediit.

Omn. Euge! Euge! Reviviſcit Robinſon noſter!

Pat. Ex imo pectore ſuſpirans libere reſpirare coepit. Tum oculis apertis circumſpexit, velut obſervaturus locum, quem teneret; nondum enim ipſe ſatis compertum habebat, animusne ſuus e corpore exiiſſet, nec ne. Tandem magna cum triſtitia intellexit ſe vivere; nunc enim mors ipſa vita optabilior ei videbatur. Magna quoque infirmitate, doloris tamen experte, oppreſſum ſe ſenſit. Cum enim antea ſicco ardore flagraſſet, nunc ſu-

dor vehemens, atque salubris ex omnibus ejus membris promanavit. Quem ut nutriret, pellibus se tegere perrexit; quo per dimidiam circiter horam continuato magnopere se levari sensit. Jam vero vehementi siti excruciatus est. Quod reliquum erat aquae, bibendo idoneum non amplius erat; opportune autem malorum citreorum meminit. Aegre tandem unum ex illis gustat, ejusque succo egregie reficitur. Tum sudore continuato dulci somno sopitus, atque non nisi cum sole oriente expergefactus est.

O quam nunc animum magis levatum sensit, quam die hesterno! Morbi vehementia aperte imminuta erat, neque praeter infirmitatem aliquid mali nunc sensit. Cibum quoque appetere coepit, bulbumque solani frixum comedit, instillato mali citrei succo, quo saporem ejus jucundiorem redderet.

Lamarum suarum curam his diebus penitus deposuerat; nunc autem valde commotus est, eas ad pedes suos projectas videns, oculosque nonnullarum ita in se defixos, ut ipsum interrogare viderentur, an melius valeret? Est autem istorum animalium adeo commoda natura, ut camelorum instar plures dies sine potu degere queant; alioquin male nunc cum iis actum esset. Per dies enim duos continuos aquam non biberant; Robinson vero nunc etiam propter infirmitatem surgere, aquamque iis ministrare nondum potuit.

Cum lama mater ad eum satis appropinquasset, ut eam attingere posset, omnibus viribus connisus est, ad eam mulgendam, ne lac eam plane deficeret. Cujus lactis recentis usus aegro Robinsonis corpori quam maxime conduxisse videtur, egregie enim se inde recreatum sensit. Quo facto rursus

rursus dulci somno, usque ad solis occasum refectus est. Nunc autem cibi majorem appetitum sensit. Itaque nonnulla solanorum tubera succo mali citrei infecta comedit, atque denuo somno se commisit. Quo quidem satis continuato, atque cum corporis naturali firmitate conjuncto, vires suas adeo refectas sensit, ut sequenti mane etiam surgere, atque leniter, etsi vacillantibus pedibus, progredi auderet. E spelunca in vestibulum titubans pervenit. Ibi oculis in coelum sublatis, almi solis radiis suaviter refocillatus, se quasi recens natum sensit. Aeternae vitae fons, in genua prostratus exclamat, o Deus! en tibi gratias meas pias, quod mihi solem tuum pulcherrimum denuo aspicere, ejusque luce admiranda tua opera illustrata intueri liceat! Gratias supplices tibi ago, quod me non neglexeris calamitate oppressum, quod me in vitam revocaveris, ut mihi longius etiam spatium ad animum emendandum concederes! Fac autem, ut nullum futurae vitae diem agam, quin semper sim paratus adeo commigrandum in eum locum, ubi animus noster immortalitatis particeps male aeque ac bene factorum praemia inventurus est.

His precibus ex intimo pectore fusis, nunc coeli immensi caeruleique aspectu, nunc arboribus et fruticibus recens virentibus, atque rore madentibus, nunc lamis fidelibus, quae laetis blanditiis ipsum urgebant, delectatus est. E longo itinere ad suos redux sibi videbatur; itaque animus ejus adeo commotus est, ut dulces lacrymas laetitiae testes effunderet. Brevi autem aeris puri, et aquae frigidae lacte temperatae usus cum placida mentis serenitate conjunctus adeo eum refecit, ut penitus convalesceret. Brevi quoque vires restauratas sensit, ita ut ad opera facienda reverti posset.

Ante omnia vero scrutatus est, quidnam ollis suis factum esset? Fornace aperta, en! omnia vasa egregie incrustata invenit, velut a figulo arte facta. Tantam vero inde laetitiam cepit, ut aliquamdiu oblivisceretur, se nullam ex iis utilitatem capturum esse, igne quidem extincto. Cujus rei, cum tandem meminisset, capite demisso constitit, nunc ollas, nunc cacabos, nunc culinae focum intuens, alteque suspirans. Verum tamen magna cum animi moderatione hunc casum tulit, ratus nimirum, divinam providentiam, quae nuper ipsi ignis opportunitatem praebuerat, iterum aut eodem, aut alio modo hoc beneficium sibi conferre posse, siquidem ipsi conduceret. Praeterea quoque nunc expertus erat, hiemem in hac insula nullam esse. Etsi vero ab ineunte aetate carne vesci consueverat, speravit tamen fore, ut ea carere, atque solis fructibus, lacteque lamarum vitam sustentare posset.

Carol. Hem! nonne carne fumo condita, quam coqui opus non est, vesci poterat?

Pat. Bene mones! quomodo vero carnem fumo condiret?

Carol. Eho! hoc equidem non perpenderam.

Pat. Attamen eum non poenituit ollarum confectarum; lacti enim conservando eas nunc adhibere poterat. Maximam illarum ad singularem quendam usum destinavit.

Joh. Ad quemnam tandem?

Pat. Putavit nimirum, bulbos solanorum meliorem etiam saporem nacturos, si butyro infecisset.

Theoph. Sane quidem!

Pat. Neque tamen labrum ligneum butyro parando idoneum sibi conficere potuit. Itaque experiri

periri constituit, si forte butyrum in olla magna parari posset. Hoc consilio lactis pinguedinem, quanta opus esse putabat, collegit. Tum orbem ligneum confecit, cujus in medio foramen erat, cui baculum immisit. Quod instrumentum in olla lactis pinguedine repleta versavit, donec butyrum ab oxygala secretum esset. Quo facto aqua illud eluit, atque sale modico condivit.

Quo labore feliciter peracto, cum industriae suae praemio frui vellet, meminit ignis extincti, cujus prae ardore studii plane oblitus erat. Nunc tuberum assandorum opportunitatem propterea sperare amplius ei non licebat. Itaque omnis quoque butyri comedendi spes Robinsoni abjicienda fuit, quod quidem ille aegre tulit. Subito etiam se ad pristinam miseriam redactum putavit. Jam enim praeter ostreas, lac, nuces Cocossae, et carnes crudas alimenta nulla ei supererant; incertum quoque erat, utrum ista semper in promtu forent?

Quod autem eum maxime afflixit, nulla opportunitas conditionis felicioris reddendae superesse videbatur. Quid itaque nunc capesseret, confectis omnibus rebus, quae quidem manibus confici possunt. Nihil ergo sibi superesse putavit, nisi ut otio, et somno vitam consumeret. Qua quidem conditione miseriorem sibi fingere nullam potuit. Jam enim tantopere operibus gnaviter faciendis assuetus erat, ut vitam intolerabilem existimaret, quoties tempus utili labori impendere non liceret. Saepius quoque in posterum praedicare solebat, se animi sui emendationem imprimis debere perpetuis laboribus, ad quos vitae solitariae inopia initio se coactum vidisset. Industria enim, inquit, o boni, industria plurimarum virtutum mater, pigritia vero omnium vitiorum fons est!

Joh. Quod profecto rectissime enim monere arbitror! Cum enim otiosus es, nihil nisi ineptias animum subire invenies!

Pat. Recte dixisti, Johannes! Propterea quoque omnes pueros monuit, ut ab ineunte aetate laboribus perpetuis assuescerent. Qualem enim, inquit, a teneris te consuefeceris, talem te futurum in omni vita existima, pigrum, aut impigrum, solertem, aut ineptum, bonum, aut malum.

Nicol. Illud dictum animo nostro infigemus!

Pat. Hoc agite, o mei, atque ei morem gerite; nunquam enim vos ejus poenitebit. Miser itaque Robinson diu, multumque secum reputavit, quemnam laborem nunc capesseret, ne plane otio langueret. Quemnam vero putatis eum tandem excogitasse?

Joh. Equidem satis invenissem, in quo operam meam collocarem!

Pat. Narra igitur nobis, Johannes!

Johan. Pelles lamarum subigere tentassem, ne iis tam asperis ad corpus tegendum uti mihi opus fuisset; quod quidem molestissimum puto, praesertim in regione tam calida.

Pat. Quo tu autem modo hoc negotium tractavisses?

Joh. Satis equidem scio, quomodo cerdones in hoc negotio versentur! Olim enim hoc vidimus! — *Pat.* Quomodo tandem?

Joh. Primum pelles asperas per aliquot dies aquae committunt, ut probe macerentur. Quo facto vecti coriario eas imponunt, atque scabro subigunt, ut aquam exprimant. Deinde pelles sale inficiunt,

ficiunt, operiuntque, ne aeri obnoxiae sint. Tum pelles sudare dicuntur, quoniam verum sudorem nunc emittunt, instar hominis laborantis. Quo facto pili radula abradi possunt. Tum pelles psilothro committunt, quod e cortice betularum, e fermento, atque jure acido corticis iligni conficitur. Tandem istae in fossam demissae jure quodam inficiuntur, quod etiam e cortice ilicum parari solet. Hujus ope tandem penitus subiguntur, aut praeparantur.

Pat. Laudo studium tuum, Johannes. An tu vero meministi, cujus generis ista coria sint, quae a cerdonibus hoc modo praeparantur?

Joh. Ejusmodi scilicet, quae caligis, ocreis, et ephippiis conficiendis inserviant.

Pat. Ejusmodi ergo coria, quibus tanta mollitie opus non est, ac illis, quibus ad conficiendas braccas, et chirothecas etc. utimur.

Joh. Minime! — *Pat.* Quis autem haec praeparare solet?

Joh. Alutarius nimirum; ejus vero officinam nondum vidimus.

Pat. Eadem inopia Robinson laboravit. Nunquam enim neque cerdonum, neque alutariorum officinas viderat; itaque neutros imitari potuit.

Diet. Quomodo autem alutarius coria tractat?

Pat. Primum quidem eadem, qua cerdo, ratione; nisi quod pelles non scobibus, aut calce (qua cerdones etiam utuntur) sed aqua calida furfuribus tritici, et fermento infecta, deinde lixivio cinerum macerat. Brevi eum conveniemus.

Joh. Quod si vero Robinson alutariorum rationem cognovisset, nihilo magis tamen eos imitari potuisset, quoniam furfuribus tritici, et fermento carebat.

Pat. Euge! haec igitur spes ei deponenda erat!

Nicol. Hem! quomodo tandem sibi consuluit?

Pat. Diu, noctuque animo versavit consilium naviculae conficiendae.

Joh. Quid autem ea facere voluit?

Pat. Quaeris etiam? Experiri nempe constituit, num ejus ope e solitudine sua, quam ignis jactura tristissimam reddiderat, se vindicare, atque in societatem hominum redire posset, Non temere enim opinatus est, continentem Americae non procul abesse; statuit autem, si modo scaphulam nactus esset, spretis omnibus periculis, ad continentem istam appellere. Cujus laetissimae spei plenus aliquando procurrit ad indagandam arborem, qua excavata scaphulam sibi pararet. Hac mente loca nonnulla perlustrans, in quibus hucusque nondum fuerat, varias plantas ignotas detexit, in quibus experimenta facere constituit, ut intelligeret, an eas in victum adhibere possit. Inter alia frutices nonnullos invenit frumenti Indici, seu Zeae, quae apud nos triticum Turcicum appellari solet.

Nicol. Hui! quam in hortulo meo alo!

Pat. Illam ipsam! Spicarum ille magnitudinem miratus, in quavis earum supra ducenta grana, corallorum instar, ordinata numeravit. Neque etiam dubitavit, e farina earum varios cibos, panemque confici posse. Quomodo autem grana moliturus erat? quomodo farinam a furfuribus purgaturus? quomodo tandem panem, aliosque cibos inde cocturus, cum igne etiam careret? Nihilo secius tamen aliquot spicas inde secum abstulit,

lit, granorum plantandorum causa. Putavit enim, fieri posse, ut ea olim utiliter adhiberet.

Reperit quoque arborem frugiferam, in quam nunquam antea inciderat. Capsulas magnas in ea pendentes vidit, quarum unam cum confregisset, sexaginta circiter fabas in ea invenit. Attamen saporem jucundum in iis non deprehendit. Nihilo minus vero nonnulla legumina matura inde collecta perae suae commisit.

Joh. Quinam tandem fructus illi fuerint?

Pat. Fabae cacaoticae, e quibus potus cacaoticus paratur.

Nic. Hem! in posterum Robinson ejusmodi potum bibere poterit!

Pat. Exspectandum ei paullulum erit! Primum enim fabas cacaoticas ille non novit; deinde apud ignem illae torrefieri, comminui etiam, atque saccharo misceri debent. Scimus autem eum neque ignem neque saccharum habere. Addi quoque iis solent varia aromata, v. c. cardomoma, vaniliae, atque caryophylla aromatica, quibus ille non minus caruit. His quidem facile carere potuisset, modo rationem ignis recuperandi invenisset.

Tandem quoque arborem frugiferam ingentem, sibi prorsus ignotam invenit, cujus fructus magnitudinem nucum Cocossae aequabant. Qui cum putamina nulla haberent, saporemque jucundissimum, toti comedi poterant. Arbor ipsa multum dissimilis erat Cocossae. Etenim non trunco tantum constabat, quemadmodum Cocossa, neque in Coronam magnorum foliorum superne exibat; sed veros ramos, atque genuina folia, arborum nostrarum pomiferarum instar alebat. Postea quoque

que comperit, arborem istam e genere earum esse, quas arbores paniferas appellare solemus, propterea quod fructus ejus vel crudi, vel comminuti, atque depsendo subacti, barbaris vicem panis praestant. Ingens autem arboris istius truncus cum latus alterum leniter excavatum vetustate haberet, Robinson in cogitationem incidit, eam cymbae conficiendae idoneam esse, si quidem ea detruncari, atque penitus excavari posset. Si vero arbor tam utilis temerario et ancipiti consilio detruncanda, neque tamen certus erat Robinson de felici hujus negotii successu! Quod cum animo concepisset, exterritus est, atque diu consilii inops haesit. Attamen loco arboris notato, dubius animi domum revertitur. Inter redeundum, quod jam diu optarat invenire, nidum psittaci, pullis satis adultis repletum invenit. Quam ille hoc lucro laetatus est! Cum autem ad pullos capiendos accederet, cuncti avolarunt, praeter unum, quem cepit. Quo ille contentus hilari animo domum properat.

Dieter. Quemnam vero usum psittacus ei praestare poterat?

Pat. Verba quaedam pronuncianda eum docere in animo habebat, ut tandem vocem humanae similem audire posset. Nobis quidem, cum media in societate hominum vivamus, atque quotidie hominum consuetudine, et colloquio frui possimus, delectatio illa, quam Robinson e confabulatione psittaci sui capere sperabat, parvi aestimanda videbitur. Quodsi vero ejus vicem animo subire velimus, intelligemus profecto, felicitatem ejus magnopere augeri debuisse consuetudine psittaci quamvis nos eam parvi aestimemus. Laetus itaque domum properat, atque caveam etiam probabilem concinnat; qua novo cum amico juxta stratum suum collocata ad quietem se composuit.

VESPE-

VESPERA DECIMA TERTIA.

Proxima vespera pater parvulos suos ante tempus consuetum convocat. Opus enim esse, ait, ut antequam narrando pergat, cum iis super quadam re deliberet. — De quonam autem deliberabimus? parvuli clamitant, dum patrem corona cingunt.

Pat. Istud nimirum vobis proponam, quod per totam noctem Robinsonis animum valde turbaverat, somnumque ei ademerat. — *Omn.* Ehem! —

Pat. Deliberandum scilicet erat, utrum vetus illa arbor panifera, quam heri viderat, spe dubia navis inde conficiendae, detruncanda, an relinquenda esset?

Joh. Equidem eam intactam reliquissem!

Diet. Ego vero eam detruncassem!

Pat. Ecce igitur duas sententias contrarias! Alter arborem detruncari, alter eam incolumem relinqui jubet! Vestram quoque, o reliqui, de hac re sententiam nobis exponite!

Theoph. Equidem cum Johanne sentio.

Carol. Ego quoque, pater! intacta manebit arbor!

Frid. Minime! Detruncabitur, ut miser Robinson navem nanciscatur!

Nicol. In hanc sententiam ego quoque eo!

Pat. Itaque in duas factiones divisi, rationes sententiarum vestrarum exponite! Euge! tu Johannes jam ordire! Cur arborem integram relinqui jubes?

Joh.

Joh. Hem! Quia pulcherrimos fructus alit, atque unica ejus insulae esse potest.

Diet. Eho! vetusta est arbor, quae paucos etiam fructus edet.

Joh. Unde vero tu hoc intelligis? Mediocriter enim cava est; nonne autem permultae arbores cavae reperiuntur, quae adhuc satis frugiferae sint?

Nicol. Nihil opus est, nisi ut Robinson quam plurimos surculos hujus arboris truncis aliarum arborum inserat. Sic enim arborum paniferarum magnam copiam nanciscetur!

Theoph. An vero istae subito succreverint? Vix enim quadriennio integro exacto fructibus ferendis idoneae fuerint!

Frid. Nonne tu autem satius putas, Robinsonem navi confecta ad societatem hominum redire, quam in insula sua residere arboris paniferae fructus edentem.

Joh. Hem! Siquidem navis illico confecta esset! Quomodo enim arborem ille detruncabit, atque etiam excavabit, cum tantum securi lapidea instructus sit?

Diet. Eho! modo sedulitatem, et constantiam in hoc labore adhibeat; perficiet illum profecto!

Theoph. Deinde velis quoque caret! Quid autem sola navi proficiet?

Nicol. Remorum auxilio illum uti oportet!

Carol. Ehem! tum res egregie succedet! An tu vero oblitus es, nos in ancipiti periculo versari, cum apud Travemundam in Oceano Baltico deprehenderemur, remo altero confracto? Tunc pater dixit, nisi remus ille fractus aliquem certe

usum

usum nobis praestitisset, fieri non potuisse, ut alter remex solus nos ad littus reduceret.

Dixt. Hem ingens illa scapha fuit, octodecim etiam homines in ea erant. Quodsi vero Robinson minorem cymbam cum duobus remis confecerit, satis illam solus propellere, atque gubernare poterit

Pat. Intelligetis sane, o mei, rem non ita facili negotio dijudicari posse. Omnes enim istae rationes a vobis expositae boni Robinsonis animum per totam noctem versaverunt; quod quidem *rem perpendere* dicitur, cum quis deliberat, satiusne sit, illam effici, necne? Ex quo enim noster expertus erat, quantas sibi temerario peregrinandi consilio calamitates parasset, hanc legem sibi sanxerat, ut nihil unquam conaretur, nisi prudenti consilio antea inito. Quod igitur nunc quoque fecit. Postquam autem in omnes partes animum versaverat, intellexit ille, summam consilii capiendi hanc esse, ut recte dijudicaretur — num emolumentum mediocre, sed certum posthabendum esset majori, sed incerto? Primum quidem meminit fabulae de cane offam, quam ore tenebat, abjiciente, atque ejus umbram, in aqua conspectam, captante, ita ut utramque amitteret. Mox autem agricolarum recordatus est, qui partem frumenti, quod jam possident, dispergunt, ut majorem ejus copiam inde obtineant. Canis quidem rationem nemo non vituperabit; agricolam e contrario omnes laudabunt, eumque prudentem appellabunt. In quonam tandem utrique inter se differre videntur? Robinson se ipse interrogavit. Re paullulum deliberata, Euge! ait, rem teneo! Canis imprudenter fecit, propterea quod sola cupiditate ductus erat, neque deliberaverat, an eo, quod captare cupiebat, vere poti-

potiturus videretur? Agricola autem prudenter facit, quoniam satis certe sperare potest, se majorem frumenti copiam ex agro relaturum, quam illi commiserit. Eadem conditione ego quoque utor, ait; nonne enim verisimile est, me industriae assiduitate tandem e vetusta illa arbore cymbam confecturum? Quod si mihi contigerit, nonne dulcem spem concipere possum, fore, ut ejus ope ex hoc deserto tristi me in libertatem vindicem.

Quae cum ita secum reputasset, animus ejus tam vehementi libertatis desiderio exarsit, ut subito se corriperet, atque securi lapidea arrepta ad arborem vetustam procurreret, magnum opus illico aggressurus. Nullum autem negotium, neque molestius, neque lentius isto unquam aggressus erat! Permulti quoque alii homines eo vix dum inchoato animum abjecissent, atque de eo perficiendo desperaturi fuissent! Robinson autem, prout dixi, hanc legem sibi sanxerat, ut nullis difficultatibus ab ullo unquam incepto probabili deterreretur. Itaque nunc etiam summa consilii constantia in hoc negotio versatus est, etsi permultum temporis atque laboris in eo perficiendo sibi adhibendum praevidebat.

Ab ortu solis usque ad meridiem labore continuato, foramen innumerabilibus ictibus in trunco elaboratum vix dum manui recipiendae sufficit. Inde vos facile intelligetis, quantum temporis spatium illi impendendum sit arbori satis crassae penitus detruncandae, navique inde conficiendae. Jam ille satis intellexit, hunc laborem plurium annorum fore; justam igitur diei distributionem facere ratus est, ut cuivis horae certum negotium destinatum haberet. Experientia enim edoctus erat, in rebus agendis nihil aeque ad industriam promovendam, atque sublevandam facere, ac justum negotiorum ordinem,

ido-

idoneamque diei distributionem. Ecce autem descriptionem eorum laborum, quibus singulas diei horas impendere statuit.

Primum die exorto statim surrexit, atque ad fontem se contulit, capitis, manuum, pectoris, pedumque lavandorum causa. Cum autem mantelio careret, eum aere siccari oportuit, quod ut adjuvaret, celerrimo cursu ad habitaculum suum reverti solebat. Deinde vestes rite induit. Quo facto collem speluncae imminentem conscendit, e quo longe, lateque circumspicere poterat, atque in genua prostratus preces matutinas pie fudit, in quibus nunquam parentibus carissimis divinam benedictionem apprecari oblitus est. Tum lamas mulget, quarum idoneum gregem paullatim educaverat. Deinde lactis aliquam partem cella condidit, reliquiis in jentaculum adhibitis. Quibus peractis hora fere effluxerat. Tum omnibus rebus indutus, quae ad se armandum pertinerent, se in viam contulit, aut ad arborem paniferam profecturus, aut ad littus, sub horam maris recedentis, ostreas in prandium antea collecturus. Lamae vero eum sequi solebant, juxtaque eum pascebantur, occupatum interim in arbore succidenda.

Sub horam decimam aestus diei tam vehemens esse solebat, ut laborem intermittere Robinsonem oporteret. Tum ille ad littus reversus, aut ostreas conquisivit, siquidem mane earum copiam non invenisset, aut lotus est, quod bis quotidie facere solebat. Circa horam undecimam cum omni comitatu domum rediit. Deinde iterum lamas mulsit, caseos e lacte coagulato pressit, prandiumque frugale instruxit, quod fere lacte cum caseo recenti conjuncto, nonnullis ostreis, dimidiaque nuce Cocossae constabat. In quo ille mirifice adjutus

 est

est, eo, quod in calidis istis regionibus ciborum appetitus multo minor esse solet, quam in terris frigidioribus. Attamen magnopere concupivit carne vesci, tandemque hac cupiditate ductus carnem fundendo emollire denuo conatus est. Inter prandendum cum psittaco suo confabulari solebat, quem nonnulla verba pronunciare docuerat.

Fried. Quemnam vero victum ei praebuit?

Pat. Psittaci feri maximam partem nucibus Cocossae, glandibus, et granis cucurbitarum vesci solent; cicures autem omnia comedunt, quibus homines vescuntur. Robinson quidem psittacum suum nucibus Cocossae, et caseis aluit. — Prandio consumto horam quieti sub umbra, aut in spelunca sua impendit, psittaco et lamis circa eum recubantibus. Tum ille interdum cum animalibus istis confabulari solebat, parvuli instar infantis, qui cum pupa sua loquens istam verba sua intelligere arbitratur. Tantopere ille cupiebat cum animante quodam animi sui cogitationes, atque sensus communicare, ut saepius oblivisceretur se cum animalibus rationis expertibus confabulari. Quoties autem psittacus vocem distinctam emittebat, o quam tum Robinson beatum se praedicavit! Humanam vocem audire putavit, atque adeo insulae, lamarum, psittacique oblitus est, ut in media Europa versari sibi videretur. At dulce istud somnium plerumque brevi evanuit; tum autem in memoriam conditionis suae solitariae, atque miserrimae relapsus ingemuit: miser Robinson!

Sub horam 2 meridie secundam —

Nicol. Eho! quomodo ille semper diei horam recte scire potuit?

Pat.

Pat. Eodem horologio usus est, quo rustici apud nos uti solent. Solis nimirum locum observavit, indeque diei horam collegit.

Hora igitur a meridie secunda ad opus navis conficiendae reverti solebat. Cui labori quidem satis duro quotidie adhuc duas horas integras impendit. Quibus elapsis ad littus rediit, tum ut denuo lavaretur, tum ad ostreas conquirendas. Quod reliquum erat temporis pomeridiani variis operibus hortensibus impendit. Nunc Zeam aut solana plantavit, sperans fore, ut olim igne recuperato e plantis istis aliquem usum caperet; nunc arboris paniferae surculos inseruit, nunc trunculos inserendo cultos aqua irrigavit; nunc arbusta plantavit, ad hortum sepiendum; nunc sepem, quam ex arboribus ante speluncam fecerat, circumcidit, eo consilio, ut ejus rami tandem concreti umbraculum magnum efficerent.

Nunc autem Robinson aegre tulit, vel longissimum diem in hac insula tredecim ad summum horas durare, adeo ut hora septima a meridie etiam tenebrae ingruerent. Propterea quoque cuncta negotia, ad quae conficienda lumine opus erat, ante hoc tempus eum perficere oportuit.

Sub horam sextam ergo bellicis quibusdam artibus, atque corpori exercendo aliquantum temporis impendere solebat, si quidem graviora negotia nulla ipsi facienda superessent.

Theoph. Quid hoc sibi vult?

Pat. Sagittis nimirum atque hastis conjiciendis hanc operam impendit, ut necessitate urgente contra hominum ferorum impetum, cujus nondum timorem deposuerat, satis se defenderet. Quarum quidem artium tantam sensim peritiam adeptus

 est,

est, ut a scopo floreni magnitudinem aequante raro aberraret.

Sub crepusculum lamas iterum mulsit, coenamque frugalem sumsit, stellis, aut luna lumen praebentibus. Ultimam diei horam sui ipsius contemplationi impendit. Nimirum aut in cacumine montis consedit, ubi coeli convexa stellis undique consita supra se intueretur, aut etiam aura vespertina recreatus ad littus proambulavit. Tunc se ipse tacitus sic interrogare coepit:

„Quomodo igitur hunc diem egisti? An tu etiam in percipiendis divinae bonitatis muneribus summi eorum largitoris memor fuisti? Satisne animum pium, atque gratum erga eum gessisti? Eine confisus, nec in rebus adversis, nec in secundis ejus oblitus es? Cum autem pravis cupiditatibus pectus tuum tentari sensisses, an tu eas statim oppressisti? Verene igitur in exercenda virtute hodie profecisti?"

Quoties his, aut similibus quaestionibus animum cum laetitia annuere sensit, o quam tunc se beatum praedicavit! Quanta vero cum pietate deo optimo maximo gratias supplices cecinit, qui ipsius recte faciendi studium auspicatum esse jussisset. Quoties autem justis de causis se ipse arguere videretur, o quam ille tum doluit amissum vitae diem! Quemvis enim diem quo aliquid a se commissum, aut cogitatum invenerat, cujus se in fine ejus poeniteret, amissum ille interpretatus est! Solebat quoque asterisco notare ejusmodi diem, quem lincolae ejus in arbore temporis rationem continente addidit, ut ejus aspectu injuriae commissae recordaretur, atque in posterum eo magis ab ea sibi caveret.

Sic

Sic igitur, o mei, Robinson quotidie probitati, atque pietati promovendae operam dedit! Quod si ergo vos quoque serio optatis ut in dies meliores evadatis, ut hanc ejus rationem imitemini, vobis auctor sum. Horam quoque vespertinam, ejus instar, constituite, in qua taciti diei exacti rationes vobiscum expendatis. Cum autem inveneritis, aliquid a vobis aut cogitatum, aut dictum, aut factum, quod neque deo, neque conscientiae vestrae ipsorum probare possitis, istud libello cuidam mandate, ut subinde ejus meminisse, atque cavere possitis, ne iterum eodem modo peccetis. Sic tandem, ejus instar, in dies meliores, hoc est, tranquilliores, atque feliciores evadetis. —

His dictis pater surrexit; singuli autem auditores in separatas horti porticus concesserunt, ut sapienti patris consilio statim obtemperarent.

VESPERA DECIMA QUARTA.

Eadem vitae ratione, o mei, quam vobis heri exposui — Sic pater proximo vespere narrare pergit — Robinson per tres annos continuos usus est. Per omne hoc tempus navi conficiendae operam dare non intermisit; quem quidem laborem quousque eum longo hoc temporis spatio promovisse putatis? Eheu truncus ne dimidia quidem parte excavatus fuit; incertum quoque videbatur, an eum summa sedulitate trium, aut quatuor annorum spatio penitus absoluturus esset? Nihilo se-

cius tamen opus sedulo continuavit. Quid enim aliud faceret? Neque vero laboris expers degere voluit, nec potuit.

Tum subito ei in mentem venit, se in insula ista jam diu ita habitare, ut tamen non nisi minimam ejus partem conspexisset. Ehem! secum reputavit, perperam sane fecisti, quod nimio timore hactenus impeditus sis, quin insulam tuam totam peragrares. Nonne tu enim in aliis ejus regionibus permultas res utilissimas invenire potuisses? — Quae quidem cogitatio animum Robinsonis tantopere incitavit, ut illico constitueret proximo mane in viam se conferre.

Nicol. Quanta vero insula ista fuerit?

Pat. Tanta, circiter, ut tractum Hamburgensem, excepta villa Ricebuttelіana, aequaret; quatuor fere milliaria longa fuerit, ambitus ejus duodecim milliarium.

Eo ipso die etiam omnia ad iter faciendum rite paravit. Proximo mane unam e lamis quatuor dierum victu oneravit, cunctisque armis indutus in viam se contulit, postquam numinis praesidio se ipsum commendavisset. Attamen quantum ejus fieri posset, littus tenere constituit, quoniam sylvis densioribus propter ferarum timorem minus etiam se credere audebat.

Primo die nihil memorabile in itinere ei accidit. Tribus autem milliaribus eo confectis, quo longius progrederetur, eo certius intellexit, se in sterilissima insulae regione habitaculum posuisse. Multis nimirum in locis arbores frugiferas invenit, quas nunquam antea conspexisset, de quibus autem non temere sibi salubrem aeque ac jucundum victum praebituras speravit. Postea quoque, dum iis utitur

utitur nomina eorum didicit. Fuit quoque in numero earum morus papyrifera, cujus e cortice Japanenses chartam non contemnendam, insulae Tahitanae autem incolae pulcherrimas vestes aestivas conficiunt, quarum particulam postea vobis ostendam, quam ex Anglia missam accepi.

Istam noctem Robinson ferarum metu compulsus in arbore egit; die autem oborto iter institutum prosecutus est. Mediocri viae spatio confecto extremam insulae partem meridionalem attigit. Ibi nonnullis in locis solum arenosum deprehendit. Dum autem ad ultimum continentis angulum progreditur, velut fulmine ictus subito haeret pallidusque toto corpore contremiscit. — *Joh.* Cur vero?

Pat. Vidit nimirum, quod hic se visurum non putaverat, — vestigia hominis, aut plurium hominum arenae impressa.

Nicol. Propterеane ille exterritus est? Gratum hoc ei esse debebat.

Pat. Vera terroris causa haec fuit! Hominem scilicet, cujus ista vestigia erant, nunc non fraterno amore erga se affectum cogitavit, neque ad opem atque officia sibi praestanda paratum, sed talem potius, qui summa cum crudelitate, atque saevitia ipsum adorturus, interfecturus atque devoraturus esset. Ut verbo rem expediam, haec vestigia intuens non Europaeum humanitate excultum, sed ferum Cannibalem, humanae carnis voracem, quales tunc temporis in insulis Caribicis fuisse dicuntur, sibi finxit.

Theoph. Sane quidem propterea cohorrescere debuit!

Pat. Attamen puto, eum melius atque prudentius sibi consulturum fuisse, siquidem a teneris unguiculis consuevisset, nullo ne summo quidem periculo adeo exanimari, ut tantum non mentis impos redderetur. Quam quidem, o mei, animi fortitudinem cuncti nobis parare possumus, modo satis tempestive operam demus, ut corpus atque animum sanum aeque ac fortem reddamus.

Joh. Hem! quomodo quis eo pervenire possit?

Pat. Si quis, optime Johannes, vitae genere laborioso, sobrio atque quam maxime ad naturae rationes accommodato corpus roborare, animum autem virtute atque pietate supra fortunae vicissitudines extollere, et ad res adversas ferendas praeparare studeat. Quod si nostro exemplo modico ciborum salubrium, et simplicium usu contenti esse, dulce autem cupediarum venenum magis magisque in dies contemnere didiceritis, si ignaviam, quae corporis, et animi pestis est, fugietis, atque, quantum ejus fieri potest, nunc discendo aut meditando, nunc operibus manu faciendis occupati eritis; si saepius sponte vestra res jucundas, quibus potiri cupiatis atque possitis, vobis denegabitis, molestas autem, a quibus cavere vobis poteritis, sustinebitis; si aliorum hominum auxilio quam rarissime utemini, propriis autem ingenii aut corporis viribus ea, quibus indigebitis, vobis parare ipsique inopiae vestrae consulere, si denique in universa vita innocentiam conservare, ejusque munere patris nostri coelestis, omnipotentis, atque benignissimi favorem, atque amorem vobis conciliare studebitis — tunc enim vero, o mei, corpus animumque sanum, fortemque praestabitis, tunc nulla fortunae vicissitudo vos perturbabit, certa spe confirmatos, quaecunque vobis contingant,

tingant, a summi numinis, et sapientia, et benignitate ad vos feliciores reddendos vobis immitti.

Qua quidem in constantia, ac pietate Robinsonem nostrum minus etiam processisse videmus, quam ad conservandam ejus tranquillitatem atque felicitatem opus erat. Quod sine dubio ei accidit, quia ille per aliquot annos continuos vitam plane tranquillam, periculis malisque liberam egerat. Nimia enim quies, atque securitas — quod animis vestris infigatis velim, mei liberi, homines corrumpere, molles, timidosque, malos etiam plerumque reddere solet. Itaque verum dei beneficium interpretari debemus, cum ille calamitatibus immissis vires mentis corporisque nostri excitare, animique nostri fortitudinem exercendo augere solet!

Robinson aspectu humanorum vestigiorum, quod vobis antea narravi, velut attonitus constitit. Timidus tum circumspicit, levissimum foliorum strepitum auribus anxie hauriens, diuque consilii inops haesit. Tandem se corripuit, in fugam se contulit, neque respicere ausus est. Subito autem obstupuit, atque cohorruit! Vidit nimirum — horrenda vobis, o mei, narrabo, de miserrima eorum conditione, qui idonea institutione caruerint — Vidit fossam rotundam in terra factam, cujus in medio ignis extincti focum animadvertit. Circa istam fossam, horresco referens, crania, manus, pedes, aliaque humani corporis ossa abjecta conspicit carne nudata!

Omn. Cujusnam? cujusnam?

Pat. Hominum scilicet; eorum vero, qui humana quidem specie praediti, tanta vero feritate, atque crudelitate fuerant, ut bestiarum instar ne-

 que

que nausea, neque misericordia impedirentur, quin carne fraterna vescerentur. Tunc temporis enim in insulis Caribicis feri homines degebant, Caraibes, Cannibales, aut Anthropophagi dicti, propterea quod saltantes atque canentes eos assare, immanique aviditate deglutire solebant.

Carol. Fi! homines detestabiles!

Pat. Mores eorum inhumanos detestabimur, mea Carolina, neutiquam vero miseros istos ipsos, quippe quorum culpa non commissum est, ut institutione recta caruerint. Tu ipsa enim, si inter eos nata fuisses eorum instar nuda, fera, atque rationis expers, in sylvis discurrens, faciem minio collineres; aures, naresque tuae perforatae essent; valde superbiens pennis volucrium, conchis aliisque rebus istis membris ornata neque minori cum laetitia epularum inhumanarum parentum tuorum, aut popularium ferorum socia fores, ac tu nunc melioribus nostris cibis vesceris. Laetamini igitur, o mei, deoque gratias agite, quod vos a parentibus humanitate excultis, rationeque praeditis nasci jusserit, quorum cura eandem humanitatem vos facillime ducere potestis. Misereat autem vos infelicium istorum, quos fraternitatis vinculo nobiscum natura conjunxit, quod adhuc misera feritatis conditione utantur!

Fridr. Ubinam nunc etiam ejusmodi homines degunt?

Joh. Longe, longissime a nobis, Fridericule, in Insula novae Seelandiae! Pater nobis hieme praeterita de iis quaedam ex itinerario praelegit! Ibi homines tam feri, immanesque etiam esse dicuntur, ut carne humana vescantur. Anglos autem, a quibus illi detecti sunt, eos mansuefacturos esse puto!

Fridër. Euge! — *Pat.* Nunc ad Robinsonem nostrum redeamus! — Qui quidem oculos ab atroci isto spectaculo avertit; nausea etiam correptus animi deliquio laboraturus fuisset, nisi vehementi vomitu stomachum levasset. Ut primum se paullulum refectum sensit, velocissime aufugit: Lama fidelis vix eum sequi potuit. Mens autem Robinsonis miseri tantopere perturbata fuit timore, ut ejus plane oblivisceretur, gressum istius animalis Cannibalis cujusdam se persequentis esse putaret, omnibusque viribus anxie connisus effugere conaretur. Arma insuper, hastam, arcum, securim quoque lapideam, quae nunc quantivis pretii existimare debuisset, abjecit, quoniam cursum ejus impediebant. Viae quoque tam parum curiosus erat, ut iteratis ambagibus tandem ad locum istum horribilem, unde aufugerat, rediret. Tunc novus horror animum ejus attonitum occupat! Neque vero etiam animadvertit locum istum eundem esse, quem jam antea viderat, sed novum crudelitatis eorum, quos fugiebat, monumentum invenire putavit. Itaque violentissimo impetu aufugit, neque prius currere desiit, quam animi deliquio oppressus, sensuque orbatus procideret.

Interim dum ille sensus plane expers jacet, lama advenit, atque ad ejus pedes se prosternit, eo forte in loco, ubi antea arma abjecerat. Oculis itaque non multo post apertis, omnia sua prope se in gramine posita conspexit. Quae quidem cuncta somnium illa visa sunt; plane enim ignoravit, quomodo ipse, aut caeterae res eum in locum venissent. Tantopere timor animum ejus perturbaverat.

Jam denuo se corripuit. Animi autem perturbatione nunc paullulum sedata, curiosior de con-

ser-

servandis armis ad defensionem sibi unice necessariis esse coepit, illaque secum abstulit. Tantopere autem se debilitatum sensit, ut non eadem, qua antea celeritate currere posset, etiamsi metus eum incitaret. Cibi appetitum plane amiserat, semel tantummodo sitim e fonte restinguere conatus est. Ad habitaculum suum pervenire frustra speravit. Nocte enim ingruente dimidiae horae etiam spatio abfuit a domicilio suo, eo in loco, quem palatium aestivum appellare solebat. Illud nimirum umbraculo, atque sepe satis ampla constabat, qua partem gregis sui Robinson coercebat, propterea, quod gramina pinguiora ibi crescebant, quam in domicilio consueto. Ibi nonnullas noctes aestate praeterita degerat, quoniam locus ille minus a musquitonibus infestabatur, propterea quoque huic loco nomen supra commemoratum dederat. — Robinson autem viribus plane exhaustus, progredi longius non poterat, etsi periculosissimum ei videbatur, in umbraculo nullis praesidiis munito noctem degere. Itaque ibi pernoctare constituit. Vix autem animo curis oppresso non tam vigilans, quam somnians in terram se prostraverat, cum subito vehementissimo terrore perturbatus est.

Joh. Bone Deus! quam variis ille malis conflictatur!

Nicol. Quid autem rei fuerit?

Pat. Vocem audivit velut e coelo venientem, quae distincte ita locuta est: *Robinson, miser Robinson, ubinam fuisti? quo fato huc venisti?*

Theoph. Ehem! quaenam ista fuerit?

Pat. Robinson perterritus exsilit, toto corpore contremiscens, atque plane consilii inops! Confestim eadem verba iterum audivit, oculis vero eum

in

in locum, unde sonus procedebat, conjectis animadvertit — quid tandem putatis?

Omn. Hem! quis tandem istud divinabit? —

Pat. Animadvertit nimirum id, quod homines timidi nunquam non animadversuri essent, si quidem curiosius inquirerent, se sine idonea causa exterritum fuisse! Vox illa scilicet non de coelo venit, sed de ramo umbraculi in quo — psittacus percarus sedebat. — *Omn.* Ah! —

Pat. Hic sine dubio domi morae taedio oppressus dominum quaesiverat in umbraculo aestivo, quo eum aliquoties comitatus fuerat. Robinson autem voces illas, quas nunc pronunciavit, saepius ei praciverat, ita ut eas teneret. —

Nunc igitur magnopere noster laetatus est, quod terroris novi causam invenisset. Manu porrecta, *Pola!* exclamat, statim vero lepidum istud animal in amici pollicem devolat, rostroque genis ejus applicato clamare pergit: Robinson, miser Robinson, ubinam fuisti? Hic autem totam fere noctem insomnem egit, timore, atque curis anxiis perturbatus! Locus ille horribilis oculis obversari non desiit, frustra vero animum ab ejus cogitatione abducere tentavit. O! quam stulta, noxiaque consilia illi inire solent, quorum mentes perturbationibus semel obscuratae sunt! Robinson quidem plurima salutis conservandae consilia cepit, eaque stultissima! In iis — quod vobis incredibile videbitur! — hoc erat, ut die oborto omnia dirueret, quae hucusque tanta cum sedulitate exstruxerat. Umbraculum, in quo jam degebat, sepem quoque illi contiguam discerpere, lamasque temere a se propellere statuit. Eodem modo domicilium consuetum, atque egregium parietem ex arboribus ante istud textum devastare in animo habebat. Hor-

tos

tos tandem atque plantationes penitus diruere constituit, ne in universa insula operis humana solertia facti vestigium reliquum esset!

Joh. Hem! cur tandem illud facere voluit?

Pat. Ne barbari, cum forte in istam regionem venissent, ullo modo intelligerent, hominem ibi degere.

Jam eum perturbatum cogitationibus diris relinquemus, cum tamen ei opitulari non possimus. Dum autem tutis, propriisque lectis nos committimus, deo optimo maximo laetas gratias agemus, quod nos in regione ab hominibus humanitate excultis, nos amantibus, nobisque auxiliantibus, habitata, non autem feris crudelibusque incolis obnoxia nasci voluerit!

Omn. Bonam tibi apprecamur noctem, pater! Gratias quoque agimus pro egregia tua narratione!

VESPERA DECIMA QUINTA.

Pater sic perrexit:

Verissime dictum est, o mei: *crastina consilia prudentiora!* Quod Robinsonis exemplo discere possumus!

Quam stulta consilia ille nimia formidine perturbatus heri ceperit, vos intellexistis! Bene autem eum habuit, quod ea in crastinum differri necesse erat. Vix enim alma diei lux obscuras noctis umbras dispulerat, cum illi cuncta speciem

longe

longe aliam praebuerunt! Quae heri bene, sapienter constituta, atque necessaria illi visa erant, tunc temeraria, stulta, neque necessaria putavit! Omnia (ut verbo rem expediam) consilia illa praematura, quae timor ei ministraverat, nunc reprobavit, meliora vero, rationique consentanea cepit.

Quo Robinsonis exemplo discite, mei liberi, vobis cavere, ne in consiliis exequendis, unquam temere festinetis, sed potius ea in crastinum differatis, siquidem res ita tulerit! Nunc enim noster intellexit; timorem hesternum vanum fuisse. „Tam diu, secum ipse reputavit, hic vivo; neque unquam ferus homo in vicinitatem domicilii mei venit, ex quo colligi potest, nullos in insula mea degere. Verisimile est igitur, nonnullos eorum ex alia quadam insula huc venire, victoriarum celebrandarum, epularumque atrocium agendarum causa. Isti autem in parte meridionali insulae appellere, atque etiam inde discedere videntur, ceteris ejus partibus neglectis. En! novum divinae bonitatis, atque providentiae argumentum, quod in sterilem istum insulae tractum compulsus fuerim, qui mihi tutissimus esset. Quomodo igitur non confidam, fore, ut in posterum quoque me illa tueatur, atque a periculis defendat, cum tanta ejus sapientia, et bonitas hucusque erga me extiterit!“ Tum acerbissime se ipse objurgavit propter ineptum hesterni diei timorem, qui eum impediverat, quo minus deo confideret supplex etiam in genua se prostravit, criminisque recentis veniam rogavit. Quo facto novis viribus auctus ad domicilium se contulit, ad ea efficienda, quae nunc constituerat.

Joh. Quidnam tandem nunc facere voluit?

Pat. Nonnulla ad se melius defendendum molitus est; quod prudenter sane fecit. Quamquam

enim

enim nos ſperare oportet, fore, ut divina providentia nos in periculis tueatur, ſiquidem vitam ejus praeceptis ſanctiſſimis convenientem agamus, ipſimet quoque noſtram ſalutem, atque ſecuritatem ſedulo curare debemus. Eo enim conſilio variis mentis, corporisque viribus nos inſtruxit, ut eas ad promovendam felicitatem noſtram adhiberemus.

Primum igitur non procul a ſepe viva habitaculum cingente denſam plantavit ſylvam, quae impediret, quo minus illud e longinquo conſpiceretur. Hac mente ad duo millia ramorum ejus arboris, quam ſalicum inſtar facile progerminare, atque ſuccreſcere animadverterat, ibi plantavit, ita tamen, ut eos ordine non diſponeret, ſed temere, ne ſylvula iſta humana arte conſtructa videretur. —

Tum ex interiore parte ſpeluncae viam ſubterraneam usque ad partem oppoſitam montis agere conſtituit, ut neceſſitate urgente, caſtello ab hoſtibus occupato, eo ſe reciperet. Quod quidem negotium permoleſtum, atque lentiſſimum fuit; adeo, ut naviculae conficiendae opus proxime penitus interrumperetur. In effodienda autem via iſta ſubterranea operarum metallicarum rationem conficiendorum canalium imitatus eſt.

Theoph. Quinam iſti canales ſunt?

Joh. Nonne meminiſti? Primum, qui in metallorum fodinis operam faciunt, foſſam perpendicularem in terram agunt, velut puteum effoſſuri, quam puteum metallicum vocant. Cum vero idoneam profunditatem ille duxit, meatus transverſos agunt, quos canales metallicos dicunt. Quo facto denuo puteum fodiunt, tum denuo canalem, donec ea in loca perveniant, ubi metalla reperiuntur.

Pat. Rem ſatis bene expoſuiſti! Cum iſti autem vias transverſas agunt, quas horizontales vocamus,

camus, terra desuper eos obrueret, nisi eam obfirmare studerent. Eam igitur, antequam in opere faciendo procedant, palis, atque lignis transversis suffulciri oportet, ut firmiter haereat; quod Robinson nunc quoque fecit. Terram vero eductam, ad sepem vivam conjecit, pedibusque conculcavit, ita ut sensim agger octo pedum circiter crassitudine, altitudine decem pedum, inde conficeretur. Nonnullis in locis foramina aperta reliquit, ad circumspiciendum. Scalas quoque nonnullas incidit, in quibus commode ascendere, atque descendere posset, ad castellum vel e muro defendendum, si quando opus foret.

Sic ille quidem satis tutus sibi videbatur ab impetu repentino. Quid vero, si hostes eum obsidione cingere conarentur? fieri enim hoc posse non dubitavit. Itaque in hunc quoque eventum se praeparare satius duxit, ne fame, et siti ad deditionem compelleretur. Hac mente unam certe lamam, quae lacte abundaret, in atrio domicilii semper relinquendam putavit, eique nutriendae integrum foeni acervum destinavit, quem non nisi necessitate coactus tangeret. Tantam quoque casei, quantam a quotidiano victu lucri facere posset, pomorum tandem, et ostrearum copiam a die in diem asservare instituit.

Etsi autem magnopere optabat, fontem non procul ab habitaculo promanantem per atrium domicilii ducere, ut in obsidionis inopia aqua non careret, abjecit tamen istud consilium, ad quod perficiendum nimium temporis requiri intelligebat. Eum scilicet in finem collis satis altus perfodiendus fuisset, quod ab uno homine nonnisi longo temporis spatio fieri poterat. Itaque ad naviculam conficiendam redire satius putavit.

Sic tandem Robinson aliquot annos ita vixit, ut nihil memoratu dignum ei accideret. Igitur ad rem maximi momenti properabo, quae ad commutandam amici nostri conditionem plus valuit, quam omnia, quae hucusque in insula ei contigerant.

Cum Robinson mane quodam sereno, atque calido in nave conficienda jam occupatus esset, e longinquo fumum magnum e terra ascendentem subito conspexit. Primo quidem aspectu obstupuit, mox autem curiositate ductus ad montem post habitaculum suum situm quam velocissime accurrit, causam ejus rei inde speculaturus. Vix montem conscenderat, cum majori etiam cum terrore quinque canoas, aut scaphulas in littore, triginta vero barbaros magnum apud ignem conspexit, atrocibus gestibus, atque exultationibus choream agentes!

Quod ad spectaculum videndum etsi Robinson non imparatus erat, parum tamen abfuit, quin nimio angore, atque terrore exanimaretur. Verum enim vero nunc fortitudinem, atque confidentiam pristinam celerius in animum revocavit. Tum propere in domicilium descendit, ut omnia ad se defendendum necessaria pararet; cunctis quoque armis indutus magna cum animi fortitudine deo fretus constituit, vitam suam, quoad ejus fieri posset, defendere. Quo facto preces pias fudit, statimque animum suum tantopere levatum, atque confirmatum sensit, ut in scalam funiculorum ascendere ad observandos e monte hostium conatus auderet. Quam autem Robinson cohorruit, atque indignatus est, cum satis distincte duos miseros e scaphis duci, atque ad locum igni destinatum protrahi animadvertisset! Etenim non dubitavit, eos ad mortem rapi.

Statim

statim quoque hanc suspicionem atrocissimo eventu confirmatam vidit. Alii enim barbarorum alterum captivorum in terram prosternunt, alii eum adoriuntur, sine dubio ad eum dissecandum atque ad epulas atroces e visceribus ejus parandas. Interim alter captivus spectator hujus immanitatis adstitit, donec ipse etiam trucidaretur. Subito autem miser ille, cum animadvertisset barbarorum animos in socium fortunae suae penitus intentos, spe salutis conservandae in fugam se contulit, atque incredibili velocitate eam in regionem procurrit, ubi Robinsonis domicilium erat. Tum noster animum laetitia, spe, timore, atque horrore simul pertentari, genasque nunc rubescere, nunc pallescere sensit; laetitia nimirum, ac spe, quoniam videbat, eum, qui aufugisset, persecutores celeritate multum superare, timore autem, atque terrore, quia cunctos ad castellum suum cursum dirigere animadvertebat. Sed sinus mediocris misero pernatandus erat, nisi ab hostibus prehendi vellet. In quem statim se ille projecit, eademque, quam currendo antea ostenderat, velocitate ad littus oppositum natavit. Duo priores ex ejus persecutoribus eum sequuntur, ceteri ad epulas atroces revertuntur. Robinson autem hic quoque magna cum laetitia animadvertit, neque natando hos illum aequare. Ille nimirum ad ejus habitaculum jam confugit, cum ceteri nondum dimidiam sinus partem pernatassent.

Tunc Robinson insolita fortitudine, atque audacia animatum se sensit. Vultu quippe minaci ad defensionem miseri istius se accingit; hasta correpta continuo e monte decurrit, statimque medius inter eos fuit. Tum ex arbustis prosiliens voce terribili exclamat: siste gressum! — Miser ille, qui fugiebat, aspectu Robinsonis pellibus in-

voluti obstupuit, quem sine dubio supra humanam conditionem elatum putabat, et incertus haesit, sene prosterneret, an vero aufugeret. Robinson ei manu significat se ad illum tuendum adesse, sensimque persecutores aggreditur. Jam hasta priorem attingere potest, omnique vi connisus tanta cum vehementia nudum illius corpus percussit, ut in terram procideret. Alter, qui centum circiter passus aberat, obstupuit, tum sagitta in Robinsonem irruentem conjecta istum in regione cordis vulnerat, leviter tamen, ut veste pellicea satis defenderetur. Tum ille, audax quippe bellator, hosti spatium iterandi jactus non dedit; sed vehementi impetu in arenam eum prostravit, dum arcum iterum tendit. Tunc illum respicit, cujus vitam servaverat. Qui quidem timoris aeque ac spei plenus eodem in loco, ubi Robinson eum allocutus fuerat, incertus haesit, salutis suae conservandae haec omnia fierent, an vero nunc eaedem sibi vices subeundae forent. Victor iterum eum alloquitur, atque ut accedat propius, significat. Ille obedivit, mox autem constitit; tum iterum paullulum accedit, iterumque consistit, manifesto angore correptus, supplicisque habitu. Robinson amicitiam suam omni modo testificatus, denuo illum ad se accedere jubet. Quod ille quidem fecit, ita tamen, ut quovis decimo passu supplex in genua procideret, velut gratias acturus, atque homagium praestiturus.

Tum Robinson larva sublata faciem humanam atque amicam illi ostendit. Quo facto statim propius accessit, in genua se prostravit, terram osculatus, toto corpore se projecit, pedemque Robinsonis cervici suae imposuit, ut nimirum significaret, se illi serviturum. Noster autem, qui amicum, quam servum habere mallet, blande eum e terra

sustulit,

sustulit, eique quacunque ratione persuadere studet, cum nihil nisi amoris, benevolentiaeque documenta ab ipso exspectare debere. Plura autem facienda etiam superfuerunt!

Alter nimirum e trucidatis, qui vulnus, neque illud lethale, in ventre acceperat, animum sensim recepit, graminibusque evulsis ad sedandum sanguinem vulnus obturare coepit. Robinson barbaro suo hoc demonstrat; hic verba nonnulla ipsi vernacula respondit, quae etsi non intelligebat, tamen suavissime illius aures demulcebant. Prima enim vox humana haec fuit, quam tot annorum spatio audiverat. Tum Indus nunc securim lapideam Robinsonis ostendit, nunc se ipsum, significaturus scilicet, se illa hosti vitam penitus eripere velle. Noster autem, quamquam invitus, clienti securim porrigit, oculosque avertit. Hic in hostem irruens, ejus caput usque ad humeros uno ictu diffindit. Tum ridens revertitur, atque securim caesique hostis cranium, victoriae pignora, ad pedes Robinsonis deponit. Qui tum ei significavit, ut arcubus, sagittisque trucidatorum collectis se prosequeretur; Barbarus autem Robinsoni, se antea cadavera eorum arena conditurum, ne socii ea reperirent, si forte vestigia illorum legerent. Quam ejus circumspectionem noster laudavit; ille vero magna cum celeritate brevi utrumque cadaver arena obruit. Tum ambo ad habitaculum Robinsonis se conferunt, montemque conscendunt.

Carol. Nunc autem, pater, Robinson homicidium commisit!

Frider. Hui! barbaros tantum trucidavit; quid hoc refert?

Carol. Quin, homines tamen erant!

Pat. Sane quidem, Friderice, neque in hoc discrimen est, barbarine fuerint, an humanitate exculti. In eo unice res vertitur, an illi fas fuerit, miseros istos trucidare? Quid tibi videtur Johannes? — *Joh.* Equidem puto illum jure hoc fecisse! —

Pat. Cur vero? — *Johan.* Quoniam atroces erant, barbarumque illum innocentem trucidaturi fuissent. —

Pat. Quomodo autem ejus innocentiam Robinson cognoscere potuit? Nonne illi, qui hunc persecuti fuerant, justitiae ministri esse potuerant, magistratus cum mandatis emissi? Quis porro Robinsonem judicem eorum constituerat?

Nicol. Quodsi vero eos non interfecisset, ac ejus conspectu ceteris hoc nunciavissent. —

Theoph. Tunc omnes Robinsonem oppressuri, atque interfecturi fuissent! — *Frid.* Quin etiam devorassent! —

Pat. Jam rem acu tangitis! Propriae defensionis causa hoc eum facere oportuit, neque hoc injuria! An vero fas est alium interficere propriae salutis conservandae causa? —

Omn. Sane quidem! — *Pat.* Cur vero? —

Joh. Quoniam deus nos jussit vitam nostram tueri, quousque fieri potest. Si quis igitur nos interficere vult, fas esse debet, illum prius a nobis interfici, ut ab incepto desistat.

Pat. Sane quidem, mei liberi, humanis, divinisque legibus permissum est, ut necessitate coacti vitam nostram ita tueamur; attamen, quod probe notandum est, non nisi ceteris salutis conservandae rationibus plane deficientibus. Quod si vero

vero nobis detur copia aufugiendi, aut si aliorum auxilio defendi, aut persecutoris conatus irritos reddere possimus, eum vita privare verum homicidium est, et vero etiam, qui tale facinus commisit, homicidii poenam subire solet.

Vos autem, o mei, deo gratias agite, quod in republica bene constituta vivimus, in qua tanta vitae securitate utimur propter sapientem magistratuum tutelam, ut rarissime aliquis necessitate cogatur, ad violentam propriae vitae defensionem. — Satis hodie!

VESPERA DECIMA SEXTA.

Postquam omnes sequenti vespere denuo convenerant, solitumque de Robinsone aliquid audiendi desiderium professi erant, pater historiam ejus memorabilem sic persecutus est:

Robinsonis nostri conditio, quae nos omnes nunc sollicitos tenet, in ancipiti periculo versatur. Conscenderat ille cum barbaro servato montem domicilio adjacentem; ibi autem eos dubia spe reliquimus. Quid enim verisimilius erat, quam ut barbari inhumanis epulis confectis socios secuturi, atque captivum fugientem quaesituri essent? Quo facto magnopere verendum erat, ne illi Robinsonis habitaculum detectum vi expugnarent, eumque cum cliente simul occiderent. Quae cogitatio Robinsoni horrorem incussit, dum in cacumine montis post arborem latens atroces epulas,

 choros-

choroque barbarorum obfervat. Tum fine mora deliberat, fatiusne fit fugere, an in arcem fe conferre? Animo autem fiducia in deo, innocentiae cuftode, confirmato, pofterius facere conftituit. Itaque poft dumeta, ne confpiceretur, usque ad fcalam e funiculis confectam prorepfit, focioque, ut idem faceret, fignificavit. Sic ambo defcendunt.

Tum barbarus obftupuit, commodum, aptumque liberatoris domicilium intuens, quippe qui ejus fimile nunquam vidiffet; agricolae inftar, qui nunquam antea pago fuo relicto, in palatium deducatur. Robinfon illi fignificat, quid a barbaris ejus popularibus metuat, fe autem paratam effe ad vitam ftrenue defendendam. Quod ille intelligens, truci vultu fecurim vibrat, geftuque terribili eum in locum fe convertit, ubi hoftes erant, laceffens quafi illos, atque patrono fignificans animum ad defenfionem ftrenuam paratiffimum. Robinfon hac ejus fortitudine laudata, arcum atque haftam ei tradit, eumque ad foramen parietis arborei velut in excubiis collocat, unde intervallum arbufti a fe plantati atque parietis, fatis oculis comprehendi potuit. Ipfe armatus ad oppofitam parietis partem, in qua fimilis hiatus erat, conftitit. Quo in ftatu cum horam circiter fuiffent, fubito atroci, fed fatis longinquo, clamore plurium hominum perterrefacti funt. Ambo igitur ad pugnam fe componunt, nutuque ad fortitudinem fe mutuo excitant. Jam filentium redit, jam vero iteratus clamor exauditur; tum denuo horribile filentium infequitur. Nunc —

Carol. O pater! aufugiam, cum venerint!

Frid. Fi! pudeat te timiditatis!

Theoph. Bono animo fis, mea Carolina! Robinfon iis fortiter reliftet, quantum equidem video.

CAROL. Mihi credite! sine dubio eum interficient!

JOH. Hui! tacete!

PAT. Jam cominus vox aspera auditur, quam in arbusta penetrantem mons percussus reddidit. Nostri autem ad pugnam se accingunt, uterque arcum tetenderat, primum quemque e hostibus conspectum statim vulneraturus. Oculi scintillantes eam in partem arbustorum, unde vox illa exierat, defixi sunt. — Hic pater subito conticuit, omnesque silentes expectant audire exitum pugnae; frustra tamen. Denique uno quasi ore eum interrogant, cur narrationem non prosequatur? Tum pater: Ut nimirum denuo vobis cupidinum domandarum occasionem praebeam! Nunc enim omnes sine dubio quam maxime pugnae istius horrendae exitum scire avetis; atque vero etiam me paratum invenietis ad eum illico vobis narrandum, siquidem hoc vobis placeet. Quid si vero sponte vestra hoc vobis denegetis? Si desiderio novas res audiendi, oppresso non ante crastinum diem ei satisfacere constituatis? — Attamen liberum vobis esto; dicite igitur, vultis ne hoc, an secus?

Volumus, volumus! universi respondent. Sic ergo in crastinum differtur historiae continuatio. Interim usque ad coenam omnes opera solita utiliter confabulantes tractare pergunt. Alii corbes texunt, alii funiculos, alii castellum delineant brevi in corte exstruendum, neque ante proximam vesperam pater sic narrationem interruptam persecutus est.

Robinson cum socio forti usque ad vesperam habitum eundem bellicosum servat, in quo heri eos reliquimus, neque illi tamen aliquid novi vident, nec audiunt. Tandem verisimile illi visum

est, barbaros a perscrutatione irrita destitisse, atque in scaphis domum reversos esse. Igitur armis sepositis, Robinson e copiis suis coenam frugalem depromit.

Cum autem dies hodiernus, in quo tot memorabilia amico nostro contigerant, Mercurii dies esset, barbaro suo servato nomen Mercuriali dare constituit. Nunc demum Robinsoni vacavit, eum accuratius observare. Juvenis erat egregiae formae, viginti circiter annorum; colore fusco, cute nitida; crinibus nigris, non autem laneis, sicut Aethiopum sunt, sed rectis; naso brevi, nec eo depresso; labiis parvis, dentibus albis, ut ebur aequarent. Aures ejus variis conchis, et pennis ornatae erant, quibus ille superbire videbatur. Nudus ceterum a vertice ad plantas.

Robinson in primis pudicus erat. Quamvis igitur vehementer esuriret, tamen non antea famem sedavit, quam nudo socio e pellibus amiculum secuisset, funiculisque illud colligasset. Tum ei significavit, ut pone se accumberet, atque coenaret. Mercurialis (sic illum in posterum vocabimus) magna cum reverentiae, atque grati animi significatione ad eum accessit, tum in genua se prostravit, capite denuo in terram demisso, iterum liberatoris pedem cervici suae imposuit.

Robinsonis animus, socio, atque amico diu exoptato mirifice laetatus, blanditiis potius, atque amplexibus se effundere gestiebat; attamen cum satius putaret novum hospitem nondum satis sibi cognitum obedientia sibi adstrictum tenere, homagium ejus veluti sibi debitum accipere, atque aliquamdiu regis personam apud eum gerere constituit. Itaque signis, gestuque ei ostendit, se illum quidem in tutelam suam recepisse, ita tamen, ut sum-

Futurum ipsi obedientiam praestaret, atque ut ille omnia sedulo faceret, quaecumque dominus et rex novus jussisset. Ideo *Catschici* nomine se ipse appellavit, quoniam sic barbarorum Americanorum principes ab istis vocari opportune meminerat. Quod vocabulum adhibitum magis etiam quam signa cum eo conjuncta Mercuriali domini sententiam declaravit. Annuit igitur, atque nomine illo aliquoties clara voce repetito, Robinsonem demonstrat, seque denuo ad ejus pedes prosternit. Quin ut significaret, se satis intelligere vim regiae potestatis, hastam arreptam domino porrigit, cuspide pectus suum percutit, quo sine dubio significavit, se totum in potestate Robinsonis esse. Tum Robinson regiam dignitatem prae se ferens humaniter illi manum protendit, in signum favoris, iterumque eum, accumbere, secumque coenare jussit. Mercurialis dicto audiens fuit; ita tamen, ut ipse ad pedes Robinsonis in terra consideret, hic in cespite vivo recumberet.

Hac, o mei, aut tamen simili ratione primi reges in orbe terrarum extiterunt. Viri nempe fuerunt, sapientia, fortitudine, atque corporis robore ceteris praestantes. Itaque hi ad illos confugerunt, rogantes, ut ab iis contra belluarum, quarum initio major copia fuit, hominumque injurias defenderentur. Pro quibus beneficiis obedientiam se illis praestituros, atque de proventibus gregum, et agrorum quotannis partem iis daturos promiserunt, ne ipsos oporteret, victum sibi quaerere, sed ut penitus in salute subditorum tuenda occuparentur. Quae quidem donaria regi a subditis quotannis tribuenda, *tributum* sunt appellata. Haec origo regiae potestatis fuit, haec obedientiae, atque submissionis erga unum, aut plures homines, quorum tutelae te credideris.

Jam

Jam Robinson verus rex fuit, etiamsi praeter unicum barbarum, nonnullas lamas, psittacumque, nullos subditos aut vasallos haberet. Coena confecta rex novus de cubiculis rite disponendis mandata dedit. Satius autem putavit, novo subdito nondum ita se, vitam suam, caecumque latibuli exitum credere, ut cum ipso in spelunca recubaret, quoniam fidem ejus nondum satis spectaverat, sed eum in cavea dormire jussit. Mercuriali igitur mandatur, ut idoneam foeni copiam in caveam transportet, sibique inde cubile paret; novus interea rex securitatis suae studiosus omnia arma in proprium ipsius cubile confert.

Tum non erubuit Robinson lamas ipse mulgere, ut Mercuriali rationem hujus rei ostenderet. Ille vero domini negotium plane non intellexit, quoniam infirmum ejus populariumque ingenium nondum cognoverat, lac animalium salubre aeque ac nutriendo corpori idoneum esse. Nunquam ille dulcem istum succum gustaverat; itaque singularem voluptatem e potu ejus a Robinsone dato cepit.

Variis autem hujus diei molestiis, atque periculis fessi, ambo somni quietisque cupidi nunc erant. Robinson vasallo igitur mandavit, ut ad lectum se conferret; tum ipse quoque eo se contulit. Attamen antequam cubitum iret, noster non oblitus est, deo gratias enixas agere, quod ab hodierni diei periculis se incolumem servasset, atque humano socio reperto feliciorem reddidisset.

VESPERA DECIMA SEPTIMA.

Joh. Equidem magnopere cupio audire, quaenam Robinson cum Mercuriali suo moliturus sit?

Dietr. Hem! nunc longe plura conficere ille poterit socio addito!

Pat. In dies magis magisque intelligetis, mei liberi, quantam utilitatem hominibus praestet societatis studium, quantasque nos deo debeamus gratias, quod tantopere nos ad consuetudinem, amicitiamque cum aliis hominibus ineundam natura ipsa incitaverit.

Postremo die Robinson cum Mercuriali suo statim eum ad locum se contulit, ubi barbaros heri atrocibus epulis delectari viderat. Inter eundum eo protinus pervenerunt, ubi ambo barbari a Robinsone interfecti arena obruti jacebant. Mercurialis domino locum istum demonstrans cadavera ista eruere gestit, ut inde epulas sibi paret. Robinson autem torvo vultu ei significat, se abhorrere a tali facinore, hastaque elata eum ab ejusmodi epulis abstinere jubet, nisi illico morte puniri velit. Quas domini minas Mercurialis intelligens ei supplex obedivit, quamvis ignorans, cur ille ab istis epulis sibi tam jucundis abstinere ipsum jusserit, cum illae nihil turpitudinis habere ipsi viderentur.

Nunc ad focum pervenerant. Qualis, quaeso, aspectus! Ossa, carnis humanae particulae semirosae disjectae jacebant; nonnullis in locis terra sanguine rubescit. Robinson oculos avertit, Mercurialemque omnia colligere foveaque tristes popularium suorum reliquias condere jubet; ille morem domino gessit.

Tum

Tum Robinſon magna cum cura cinerem perſcrutatur, an forte ignis ſcintilla in eo remanſerit? Fruſtra tamen; penitus ille extinctus erat. Quod eum vehementer afflixit; ſocio enim dei bonitate accepto nihil ei fere optandum ſupererat praeter — ignem! Dum autem ille capite inclinato triſtique vultu cineres extinctos aſpicit; Mercurialis, qui eum aliquamdiu attente obſervaverat, nonnulla ſigna dedit intellectu difficilia, tum ſecuri ſubito arrepta, quam velociſſime ad ſylvam currit, dominumque, qui ejus conſilium plane non intelligeret, mirantem relinquit.

Quid hoc ſibi vult? Robinſon cogitat, dum obſtupeſcit, atque eum oculis ſequitur. An vero ingratus ille te deſerat, atque te quoque ſecuri tua privet? An ea crudelitate ſit, ut domicilio tuo occupato, te ipſe vi inde arceat, aut popularibus ſuis inhumanis te prodat? Turpiſſimum facinus! exclamat, atque animum tam ingratum indignatus haſtam corripit, proditorem perſecuturus, atque impediturus, ne conſilia ſua turpia perficeret. Jam greſſu citato in viam ſe contulerat, cum Mercurialem velociter currentem redire vidit. Robinſon convictus haeſit, atque miratur, eum, quem proditionis ſuſpectum habuerat, manipulum graminis aridi extollentem accedere, fumumque inde aſcendere. Jam in flammam erumpit; Mercurialis manipulo in terram projecto majorem graminis aridi, atque ſarmentorum copiam addit. Robinſon autem ſumma cum laetitia extemplo lucidum laetumque ignem eflagrantem videt. Tum ſtatim intellexit cauſam, de qua Mercurialem procurrentem vidiſſet. Tanta autem ille laetitia affectus eſt, ut eum amplexus, atque oſculatus apud ſe tacite veniam ſuſpicionis malae de eo conceptae rogaret.

NICOL.

Nicol. Unde autem Mercurialis ignem petierat?

Pat. In ſylvam cum ſecuri cucurrerat, ut e trunco arido duo ligni fragmenta peteret. Quae ille tam celeriter, atque ſcite fricuerat, ut incenderentur. Tum quam citiſſime lignis ardentibus foeno involutis cum iſto manipulo velociſſime procurrerat, qua motus celeritate foenum exarſit.

Amic. R. In hoc quidem mihi diſplicuit noster homo!

Joh. Cur tandem? — *Amic. R.* Quoniam ſine idoneis perfidiae argumentis Mercurialem turpiſſimi facinoris ſuſpectum habuit. Fi! pudeat nos tantae erga homines diffidentiae! — *Joh.* Hem! fieri verumtamen potuit, ut ejus ſuſpicio vera eſſet. Nonne igitur ab eo ſibi cavere debuit.

Amic. R. Nondum ſatis meam perſpexiſſe videris ſententiam, bone Johannes! Hoc equidem in Robinſone non vitupero, quod fieri poſſe putaverit, ut Mercurialis perfidus eſſet, neque vero hoc, quod eum perſequutus ſit, ut ejus conſilia, ſi quae ipſi noxia cepiſſet, impediret. Haec enim cautio erga hominem ignotum neceſſaria, atque laudabilis ſine dubio fuit. In eo autem ejus rationem minime probare poſſum, quod iſtam ſuſpicionem ſtatim veram putaverit, quod indignatione abreptus, atque perturbatus adeo fuerit, ut plane oblivisceretur, Mercurialem innocentem eſſe poſſe! — Tanta enim noſtra erga alios diffidentia eſſe non debet, niſi certiſſimis argumentis ea nitatur. In re enim dubia nos ſemper oportet bonam, non malam, de aliis ſuſpicionem fovere!

Pat. Egregium praeceptum! Animis veſtris hoc infigite, mei liberi, atque ei obtemperate! —

Noſtes

Mercurius igitur, ut jam antea dixi, laetitia elatus est, cum suspicionem suam vanam, seque iterum nova ignis tam exoptati acquisitione beatum vidisset. Diu flammis esflagrantibus delectatus, neque eorum tamen adspectu satiatus est. Tandem titione arrepto ad habitaculum comite Mercuriali procurrit. Hic confestim igne lucido in culina accenso nonnullisque solanorum tuberibus ei commissis, quam velocissime ad gregem se contulit lamae pullum petiturus. Quo sine mora mactato, excoriato, atque dissecato, quartam ejus partem veru affixit. Mercuriali veru versandum mandatur. Interea dum ille hoc munere fungitur, Robinson segmentum pectoris amputat, illudque probe lavatum ollae committit. Tum nonnulla tubera decorticat, manipulumque Zeae duobus lapidibus adhibitis molit, utrumque carni addit, idoneamque aquae purae portionem infundit. Neque etiam oblitus est salis, tum hanc quoque ollam igni apponit.

CAROL. Equidem satis intelligo, quidnam ille apparare velit! — Jusculum!

PAT. Recte! — Cibum scilicet, quem his proximis octo annis non gustaverat. Ex eo facile judicabitis, quantopere illum concupierit!

Mercuriali universus iste apparatus mirabilis videbatur, quippe qui ejus rationem nondum intellexerat. Nunquam ille coquendi artem neque viderat, nec de ea audiverat; itaque plane divinare non potuit, quam ob rem aqua ollae apud ignem positae infusa esset. Cum igitur Robinson paullulum in speluncam secessisset, aqua vero in olla fervere coepisset, obstupuit ille, hujus rei causam ignorans. Aqua tum exaestuante, atque undiquaque ebulliente, stulte putavit, animal in olla esse,

esse, quod repentinum istum aestum excitaret. Ut autem impediret, quominus omnis aqua ab eo ex olla proturbaretur, manu celeriter immissa capere illud tentavit. Extemplo vero clamorem immensum edidit, quo saxa speluncae contremuerunt. Quo audito Robinson vehementer exterritus est, quoniam statim existimavit, barbaros advenisse, atque Mercurialem jam oppressisse. Itaque timore, atque propriae salutis cura adductus primum in cuneum subterraneum se conferre statuit. Mox autem hoc consilium abjecit, turpe ratus, novum amicum in ancipiti periculo deserere. Sine mora igitur e spelunca prorupit, ut pro salute Mercurialis iterum conservanda vel ipsa vita dimicaret.

Amic. R. . Sic te amo, bone Robinson!

Pat. Prorupit itaque securi armatus; quam vero obstupuit, cum Mercurialem solum, amentis instar, clamorem improbum edentem, gestuque insolito circumsilientem conspexit. Diu quoque dubius, atque incertus haesit. Tandem signis adhibitis intellexit, omne infortunium in eo versari, quod Mercurialis manum leviter usserit. Quem quidem aegre ad animi tranquillitatem reducere potuit. Ut autem intelligatis (id quod Robinson ipse non nisi anno exacto intellexit, cum scilicet cum Mercuriali loqui coepisset) cur iste tantopere hac re levissima perturbatus fuerit, vos antea docendos censeo, quaenam sit ratio hominum male institutorum, cum in aliquid incidant, cujus caussam ignorent. Miseri isti homines scilicet tunc opinari solent, invisibilem quamdam naturam, daemonem, caussam ejus rei esse, quam assequi non possunt, illumque in eo mandata cujusdam hominis perficere, cujus se servitio addixerit. Eum

vero, quem daemonibus imperare credunt, magum, aut si foemina sit, *magam* appellant. Cum v. c. equus aut vacca rustici nulla cognitione imbuti subito in morbum incidit causa ignota, facile ille, quanquam stultissime, opinabitur, magum, aut magam in pago esse, quae equum, aut vaccam fascinaverit, hoc est, mali daemonis invisibilis auxilio morbo affecerit. —

Carol. Sane quidem pater; idem nutrix nostra dixit, cum subito vaccam lac deficeret! —

Pat. Cura igitur, mea Carolina, ut miseram istam ancillam errore liberes, cum ei cras in coquendo te adjunxeris. — Cum vero imperiti isti homines tali superstitione imbuti sunt, astuti, et improbi impostores accedere solent, qui eorum ignorantiam lucri faciant. Isti tum eos in errore confirmant, gravitatis speciem simulantes, atque dicentes, animalia illa vere fascinata esse; tum pretio dicto pollicentur, se fascino ea liberare, aut daemonem, aut vero magum, qui ejus auctor sit, cogere posse, ut ab iis desistat. Quod fatui isti homines sibi persuaderi patiuntur, exorcista autem (sic impostorem illum vocant) praestigias varias eis ostendit. Quod si tum jumenta ista forte morbo liberantur, jurare illi non dubitant, ea vere fascinata, a sapienti viro (hoc enim nomine ejusmodi impostorem appellare solent.) fascino liberata fuisse. Si vero animalia ista pereant, vir sapiens varia facile praetexere potest, quae populo persuadeant, exorcismum suum sine sua ipsius culpa irritum fuisse. Quo imperitiores mortales sunt, eo magis superstitioni isti noxiae dediti esse solent. Ex quo intelligetis, eam praecipue apud barbaros regnare debere. Quaecunque illi propter ingenii imbecillitatem perspicere non possunt, ea malis dae-

daemonibus tribuunt; qua quidem conditione Mercurialis noster nunc utebatur. Numquam ille neque audiendo, neque experiendo cognoverat, aquae fervorem conciliari posse. Nunquam ille manu tetigerat aquam fervidam; itaque plane non potuit intelligere causam ejus doloris, quem manu in aquam bullientem demissa sensit. Sic igitur magica arte hoc fieri, dominumque magum esse putavit.

Agite vero, o mei, praeparemini in ejusmodi res, quarum causas non intellecturi sitis, vobis enim sine dubio contingent. Praestigiatores videbitis, miras res efficere scientes, qui *v. c.* avem in murem mutare, avem truncatam in vitam revocare *videbuntur*, neque vos vel summa cum attentione rationem istarum praestigiarum perspicietis. Quod si tum mentem vestram haec cogitatio subierit, supra naturae vires ista fieri, magum esse, qui ista efficiat, tunc opportune Mercurialis nostri recordemini, vobisque persuadeatis, eadem conditione vos esse, opinantes, ista naturae vires excedere, cum tamen secundum naturae leges fiant. Ut autem vos in tales casus praeparemus, nonnullas ejusmodi praestigias vobis opportune explicabimus, ut inde aliarum quoque rationem dijudicetis.

Robinson, quod quidem antea dixi, miseri Mercurialis animum aegre sedare, eique persuadere potuit, ut denuo ad carnem in veru versandam accederet. Quod cum tandem fecisset, ollam tandem non sine horrore quodam, dominum vero, quem nunc supra humanam conditionem elatum putavit, timida cum reverentia contemplatus est. Quam ejus opinionem albus Europaei color, longaque ejus barba etiam confirmavit; haec enim Robinsonis speciem longe diversam efficiebant a

specie Mercurialis; atque popularium ejus fuscarum, et imberbium.

Nicol. An vero barbari Americani barba carent?

Pat. Carent illi quidem; propterea quoque universi fere putaverunt, naturam viris Americanis barbam negasse. Nunc autem ab aliis observatum est, hos propterea barba carere, quod lanuginem propullulantem curiose evellant.

Jam jusculum, bulbi solanorum, et caro assa rite apparata sunt! Cochlearibus deficientibus Robinson duas portiones jusculi duabus aliis ollis infundit, unde illud sorberetur. Mercurialis vero nullo modo adduci potuit, ut alteram earum acciperet, quoniam jus illud potum magicum esse putavit; cohorruit quoque Robinsonem de potu isto magico sorbentem videns. Carne autem assa tuberibusque solanorum magna cum voluptate vescitur.

Quantopere Robinson calidorum, atque pinguium ciborum usu laetatus sit, facile intelligetis. Nunc quoque calamitatum praeteritarum plane oblitus est; quin in insula se degere obliviscitur, in regione longe alia, media in Europa versari sibi videtur. Sic divina providentia animi vulnera, sapienti consilio nobis inflicta, insperatorum gaudiorum vi benigna sanare solet, etsi doloris sensu perturbati nos illa plerumque insanabilia putare solemus. Neque vero dictu opus est, Robinsonem novis his divinae benignitatis beneficiis fruentem animum gratum, piumque erga almum eorum datorem gessisse.

Prandio confecto in angulum meditationi consecratum secessit, ut faustam conditionis suae commuta-

mutationem ferio perpenderet. Nunc omnia ei laetiora vifa funt. Nunc vita ipfius folitaria effe defierat; nunc focio gaudebat, cujus e confuetudine magnum folatium, atque auxilium petere potuit, licet nullam adhuc confabulandi cum eo opportunitatem inveniffet. Ignem quoque receperat, tantamque alimentorum jucundorum, atque falubrium copiam, ut palato ventrique fedando fufficerent. „Quid nunc te impediet, fic fecum reputavit, quo minus laetus fecurusque vivas? Fruere igitur dei tam variis beneficiis! Ede, bibe praeftantiffima quaeque, quae a gregis, regionisque ubertate tibi copiofe praebentur, atque quiete lautisque cibis miferiae, ac inopiae priftini temporis damnum folare. Mercurialis tuus pro te laboret; juvenis enim ac robuftus ille eft, tu vero adeo bene de eo meruifti, ut tibi jure meritoque addictus fit.“ Hic autem haefitavit, ingrata quippe cogitatione perturbatus.

„Quid enim? Secum reputat, fi unquam felix ifta tua conditio plane tibi eriperetur? Si Mercurialis diem fupremum obiret? Si ignis iterum exftingueretur? — Tum gelidus horror omnia ejus membra percutit. — Quod fi vero, fic pergit, vita molli, atque luxuriofa adeo tunc corruptus effes, ut ad duritiem, paupertatemque vitae prioris redire prorfus nequires? Si tamen ad eam redire cogereris?“ Tum ex imo pectore fufpirans fic meditando pergit: quidnam potiffimum in caufa eft, quod tu deo adjuvante varia animi vitia depofueris? Nonne hoc debes uni vitae generi laboriofo, atque temperanti, quod hucusque agere fuifti coactus? Tu vero nunc otio atque voluptatibus adeo te dederes, ut bonam corporis, animique valetudinem temperantia, atque induftria partam, amitteres? Quod deus avertat!“

tat!" Hoc dicto e strato exsilit, gressuque citato in vestibulo domicilii proambulat. Interea Mercurialis ciborum reliquiis cella conditis Robinsonis jussu ad lamas mulgendas abiit.

Robinson autem sic reputare pergit: atque si tu nunc vitam otiosam ac mollem agere inciperes, nonne brevi calamitatum exhaustarum paternique, quod deus tibi hucusque praestitit, auxilii plane oblitus esses? Nonne brevi arrogantiam, insolentiam, deique oblivionem duceres? Horrendum dictu!" sic exclamat, in genuaque prostratus deum enixe rogat, ut se a tali scelere purum conservet. Tum aliquamdiu etiam meditabundus haesit, donec consilium hoc saluberrimum magna cum animi fortitudine cepit:

Equidem, ait, novis his dei beneficiis fruar; attamen summa cum temperantia! simplicissimis in posterum quoque cibis vel in summa omnium rerum abundantia vescar. Labores meos aeque gnaviter, atque strenue et assidue continuabo, etiamsi illi in posterum minus necessarii erunt. Diem quoque cujusvis hebdomadis constituam, Saturni videlicet, quo cibis iisdem crudis utar, qui me hucusque nutrierunt; cujuslibet mensis ultimum diem eadem in solitudine degam, in qua omne praeteritum tempus in hac insula consumsi. Tunc Mercurialis diem noctemque procul a me in palatio aestivo aget.

Quibus praeclaris consiliis initis voluptatem illam puram atque coelestem sensit, quo animus humanus semper perfundi solet, quoties se ad majorem perfectionem tendere intelligit. Pectore toto omnia bona, quae e consiliis tam honestis, atque sapientibus sponte initis ad se redundatura essent, adeo praesensit, ut cor ipsius velocius etiam

fam pulsaret; incredibili voluptate se affici sensit. Attamen propter imbecillitatem humani, sui quoque, animi talium propositorum nunquam satis tenacis, satius esse duxit, signo quodam visibili se ipsum quotidie ad ea strenue exsequenda incitare. Hunc in finem securi arrepta saxo januae imminenti duo ista verba insculpsit: *Industria, atque temperantia!*

Vobis autem, o mei, suadeo, ut usque ad crastinum diem serio perpendatis, quidnam e Robinsonis exemplo utiliter ipsi imitemini! Cum denuo convenerimus, judicia vestra super hac re mecum communicabitis, quemadmodum equidem mea vobiscum.

VESPERA DECIMA OCTAVA.

Sequenti vespere parvuli susurris, variisque motibus indicant, rem magni momenti inter ipsos agitari. Attamen veram ejus rei rationem nemo assequi potuit ante horam narrationi de Robinsone destinatam. Tum autem tanto cum ardore ad patrem festinant adeoque illum urgent, ut in cespitem vivum se recipere eum oporteret, ne ab illis opprimeretur.

Pat. Hem! quid hoc rei est? quaenam molimini?

Omn. Rogabimus te, optime pater! — *Pat.* Quidnam tandem?

Omn. *uno ore.* Equidem cupio — ego quoque velim? —

Pat. St! — Si cuncti simul loquimini, neminem intelligo! alius alium excipiat! Incipe tu Dieterice!

Diet. Ego, et Nicolaus, et Johannes te rogamus, ut nobis liceat cras a prandio nos abstinere!

Theoph. Ego vero cum Friderico, et Carolina, nos optamus, ut nobis nihil praeter panem siccum in jentaculum praebeatur, coena prorsus carebimus.

Pat. Cur vero hoc optatis? — *Joh.* Ut nosmet ipsi vincere discamus!

Nicol. Atque ut fami tolerandae assuescamus, ne propterea nimis laboremus, cum forte ejus rei necessitas nobis contigerit!

Theoph. Quin, nos quoque patrem rogabimus, ut nobis liceat crastinam noctem sine lecto, atque somno degere.

Pat. Cur autem hoc rogatis?

Theoph. Hem! Cum olim acciderit, ut noctem vigilare nos oporteat, ne tunc nimis molestum nobis sit.

Pat. Magnopere laetor, mei liberi, quod vos necessarium existimatis, nonnunquam rebus jucundis sponte vos abstinere, ut eo facilius necessitate urgente iis careatis. Ejusmodi exercitium corpus animumque simul corroborat. Itaque vobis lubenter concedo, quod rogastis, ita tamen, ut sponte laetique hoc faciatis, atque ut libere profiteamini, cum forte nimiam molestiam vobis illud excitaverit.

Omn. Ehem! sine magna molestia hoc tolerabimus!

Amic.

Amic. R. Equidem vos imitabor, o parvuli, crastinaque coena vobiscum abstinebo!

Amic. B. Ego vero vos, qui majores natu estis! Nos prandio cras carebimus, cum universis autem vigilias agam!

Pat. Macte virtute vestra! — Neque vero me a vobis relinqui decet in via virtutis! Audite igitur, quodnam consilium ego ceperim!

Vos non fugit, me puerum multis rebus noxiis, aut inutilibus assuefactum esse. Fuerunt, qui mihi potum arabicum, atque sinicum, cerevisiam ac vinum praeberent. Propria stultitia ductus juvenis herbae Nicotianae fumum trahere, pulveremque ducere naribus didici! Quae cuncta corpus mirifice debilitant, tantopereque earum rerum, quibus indigeas, copiam augent; ut nunquam non aliqua re careamus, nosque minus contentos inde reddi sentiamus, cum iis carere nos oporteat. Saepius capitis doloribus laboro, quibus me non laboraturum existimo, nisi a tenera juventute calidis potibus, qui sanguinis ardorem augent, assuevissem. Quae quidem a me observata, atque cum Robinsonis exemplo comparata, me adduxerunt, ut in posterum haec omnia mihi negare statuerim. Ab hodierno igitur die herbae Nicotianae usu plane me abstinebo, potum Turcicum et Sinicum, cerevisiam, atque vinum non amplius gustabo, nisi in diebus natalibus, aut festis aliis, in quibus aliquantulum vini communiter bibemus, ut hoc quoque dei munere laetati, gratum ejus datori animum profiteamur.

Ardua sane res erit, hoc voto fungi, quoniam diuturnam earum rerum consuetudinem duxi, atque magis etiam aetate provectus sum. Sit sane; laetitia quoque mea, cum tamen consilium meum

executus fuero, eo major olim erit. Erunt quoque, qui me propterea vituperabunt. „En hominem singulare quiddam affectantem, en novum Diogenis affeclam!“ alii dicent. — „Morbo hypochondrico illa laborat, atque se ipsum excruciare amat,“ alii clamabunt. At, o mei liberi, quicunque ejusmodi consilia deo gratissima, atque honestissima perficere studet, illum oportet strenue propositis insistere, nulla ratione habita opinionum humanarum, quoties illa honesta sapientiaque esse intellexerit. Ipsi quoque medici illa ancipitia esse judicabunt, variosque morbos mihi augurabuntur, quoniam a corporis, animique morbis simul liberari cupio! Quod si quis autem ad viam naturae redire audeat, medicos ille non consulat, quippe qui ipsi illam deseruerint.

Satius esse putavi vobis haec omnia praedicere, ut meo exemplo discatis, multa efficere posse, qui multa velit, nullamque consuetudinem malam tantum valere, quin eam deo adjuvante vincere queamus, modo serio in ea abjicienda elaboremus!

Quae nunc facere constituimus, ad exercendam temperantiam, cupiditatesque vincendas, primitiarum instar, consilio nostro sufficient, o mei liberi! Quod si vero haec nobis feliciter successerint, alia quaevis procliviora nobis erunt. Stat itaque sententia; quilibet nostrum illud tenebit, quod sponte facere constituerit! Nunc autem ad Robinsonem nostrum redeamus.

Cujus quidem conditio nunc sane laetior fuit, quam unquam in hac insula degentis! Nihil enim fere eum amplius perturbavit, nisi quod valde etiam timebat, ne barbari reverterentur, ad socios repetendos; unde nova, cruentaque proelia sibi cum iis exortura essent. Quin ille cohorruit, dum

necessi-

necessitatem sanguinis humani iterum profundendi cogitat, neque minus de propria salute anxius esse coepit.

Rebus ita comparatis ad suam ipsius defensionem nihil intentatum relinquere statuit. Jam diu habitaculum suum castelli instar munire optaverat, hucusque autem socio laboris deficiente hanc spem penitus abjecerat. Nunc autem duabus manibus auctus facilius hoc conari potuit. Itaque cacumine montis conscenso unde totam regionem oculis complecti poterat, sine ullo negotio ejus consilii rationem mente concepit. Nihil enim factu opus erat, nisi ut arcem fossa lata, atque profunda cingeret, cujus margo interior palis muniretur. In istam vero fossam fonticulum ducere constituit, non procul ab habitaculo scatentem; sic tamen, ut altera pars rivuli mediam ejus arcem perflueret, ne unquam obsidione cinctus aquae inopia laboraret.

Difficile autem putavit, haec omnia Mercuriali signis indicare. Tandem vero hoc quoque successit; ille tum ad littus procurrit variorum instrumentorum, quae fodiendo idonea essent conchArum scilicet magnarum, lapidumque planorum, et acutorum conquirendorum causa. Tum ambo opus inchoant.

Jam facile intelligetis, hoc quoque negotium satis arduum fuisse. Fossa enim, ut consilio idonea esset, trium ulnarum altitudinem, quatuor vero latitudinem habere debebat. Ejus autem longitudo octoginta vel centum pedum esse videbatur. Quid? quod ille instrumentis ferreis, ligone, spatha, rutro penitus carebat! Perpendite quaeso, quam molestum hoc illi fuerit! Palis quoque quadringentis fere opus erat, neque profecto ludicrum fuit, eos unica securi lapidea coaptare, at-

que

que praeacuere. Praeterea quoque a rivo usq ad fossam istam canalis eadem profunditate duc dus erat; inter illum vero atque habitaculum R binsonis collis interjectus erat, quem non mi transfodi oportebat.

Verum enim vero omnibus istis impedimen strenuus amici nostri animus deterritus non Vita quoque sobria, atque laboriosa eum ad arduas suscipiendas multo fortiorem reddide ac ii esse solent, qui otio, atque mollitie solvuntur. *Cum Deo, atque animo alacri!* quasi ominibus quodlibet opus arduum incipere solebat. Scimus autem, tunc eum non antea finisse, quam illud perfectum esset.

Sic ille nunc quoque fecit! Ambo nimiru Robinson atque Mercurialis, a mane summo, a que ad vesperem alacres, et seduli opus facie itaque mirum, quantum vel instrumentis quam m nime aptis quotidie profecerint! Ventus quoq opportunus per duos menses continuos spira qui barbaros impedivit, quo minus Robinsonis insulam viserent. Verendum igitur non erat, ne inter opus faciendum ab illis opprimerentur.

Robinson inter labores socium sensim lingua vernacula ita erudire studuit, ut se colloquentem intelligeret. Hic autem docilis quippe brevi magnam ejus partem intellexit. In quo quidem Robinson eadem fere ratione usus est, qua nos vobiscum utimur, cum vos linguam Franco Gallicam docemus; quoties nempe fieri potuit, eam rem, de qua ipse loqueretur, illi ostendit, tum vero clara, atque distincta voce nomen ejus protulit. Cum vero de ejusmodi rebus locutus est, quarum copiam non habebat, vultu gestuque istorum vocabulorum significationem ei adumbrare studuit; ita

ut

ut Mercurialis anno dimidio nondum exacto Robinsonem satis intelligere, animique sui cogitata cum eo communicare posset.

Quo quidem Robinsonis nostri felicitas mirifice aucta est! Hucusque enim socium quidem, sed mutum eum, habuerat; nunc autem verus socius, atque amicus ille factus est. O! quam nova haec laetitia mediocrem istam superavit voluptatem, quam noster e garritu rationis expertis psittaci sui olim ceperat!

Mercurialis magis nunc magisque in dies animum suum honestum, liberalem, gratum, atque fidelem domino probavit. Quod illi Robinsonis amorem in dies majorem conciliavit, qui brevi tempore elapso non amplius dubitavit ei permittere, ut in eadem spelunca secum dormiret. Duorum fere mensium spatio fossa absoluta fuit; quo facto barbarorum impetus securi expectare poterant. Antequam enim illi fossam transire, palosque superare possent, aut sagittis interfici, aut longis hastis transfodi facile poterant. Itaque securitati suae nunc satis consuluisse videbantur.

Cum non ita multo post Robinson, et Mercurialis collem littori vicinum forte conscendissent, unde maris aspectus longe lateque patebat, Mercurialis oculorum aciem in quandam ejus regionem intendit, ubi insulae aliquot obscure conspici e longinquo poterant. Tum ille subito prae laetitia exsultare, atque mirabiliter gestire coepit. Cujus rei causam cum Robinson eum rogasset, laetabundus ille exclamat, dum saltare pergit: „Evoe! Evoe! Ecce patriam meam! Ibi populares mei habitant!" Facies vero incalescens, oculique scintillantes, magnum patriae amorem in eo prodiderunt, ac quantopere ille in eam reverti optaret. Quod quidem

domi-

domino minime placuit, etsi in Mercuriali sine dubio animum istum patriae, amicorumque relictorum amantissimum laudare debemus. Robinson igitur, veritus quippe, ne popularium amore ductus ille dominum forte relinqueret, ejus animum pertentare instituit. Itaque sic cum Mercuriali collocutus est, ex quo illius candorem magis etiam elucere videbitis:

Robins. Num tu ad populares tuos redire, ac cum iis degere malles?

Mercur. Lubenter equidem ad eos reverterer!

Robins. Scilicet ut carne humana iiscum vescerere!

Mercur. (Cum gravitate) Minime! Eos potius docerem abstinere a sua inhumanitate, atque lacte, ac carne animalium, non humana vesci!

Robins. Quid? si te ipsum devorarent?

Mercur. Hoc illi non facient!

Robins. Vescuntur illi vero carne humana!

Mercur. Sane illi quidem; attamen non nisi carne hostium interemtorum!

Robins. An tu scapham conficere potes, qua ad eos transveharis?

Mercur. Sane quidem.

Robins. Euge! confice tibi ejusmodi vehiculum, atque ad illos revertere! — Tum Mercurialis serio vultu oculisque demissis magnam tristitiam prae se tulit.

Robins. Ehem! cur subito tristitia afficeris?

Mercur. Doleo quippe, quod dominus meus carissimus mihi irascitur!

Robins. Cur vero tibi irascerer?

Mer-

Mercur. Nimirum me a ſe relegare vult!

Robins. Antea vero in patriam tuam redire optabas!

Mercur. Optavi equidem; quod ſi vero dominus meus eo non mecum proficiſcetur, neque Mercurialis eo venire optat.

Robins. Me quidem populares tui hoſtem exiſtimaturi, atque devoraturi eſſent; itaque tu ſolus proficiſcere!

Quibus auditis Mercurialis domino ſecurim eripit, tum eam illi reddit, caputque protendit, ut illud ſecuri diffindat.

Robins. Quid me facere vis?

Mercur. Ut me interficias! — Malo equidem a te interfici, quam relegari!

His dictis lacrymae faciem Mercurialis inundant. Robinſon autem vehementer commotus eum amplectitur, dicens: „Noli timere, o bone! ego quoque ex animo opto, ut nunquam a te divellar, ex animo enim te diligo. Quae antea dixi, ad te ſpectandum a me dicta ſunt, ut intelligerem, an tu mutuo amore me complectereris?" Tum iterum eum amplexus, ipſe lacrymas laetitiae teſtes profudit.

Robinſon magna cum voluptate e Mercuriali audiverat, illum cymbae conficiendae artem callere. Itaque eum manu prehenſum eo duxit, ubi ipſe aliquot annos navi fabricandae operam dederat. Ibi truncum illi oſtendit, vix tertia parte excavatum, atque quantum temporis huic labori jam impenderit, amico ſignificat. Mercurialis caput nutitans ſubriſit. Cum autem Robinſon ex eo quaeſi-

ſiiſſet

fuisset, quidnam illi in hoc negotio displiceret, Mercurialis respondit: minime opus fuisse lento isto labore, ejusmodi truncum brevi igne adhibito excavari posse. Quibus auditis Robinson vehementer laetatus, cymbamque perfectam jam putans, in mare tendere, feliciqne cursu exacto ad regionem quandam Europaeorum appellere sibi videtur! O! quantam ille laetitiam percepit e dulci ista recuperandae libertatis spe, tam propinqua! Quid? quod proximo mane opus inchoare illi constituunt!

Theoph. Hem, gaudia nostra igitur mox finita erunt!

Pat. Cur vero hoc putas?

Theoph. Etenim simulac ille navem nactus erit, mox proficiscetur, cum autem in Europam redierit, pater nihil amplius de isto narrare poterit.

Pat. Nonne tu vero hanc voluptatem lubenter tibi negares, siquidem hoc Robinsoni libertatem redimere posses?

Theoph. Ehem! verissima dicis; imprudenti mihi ista exciderant!

Pat. Attamen fieri potest, ut denuo ille impediatur, quo minus negotium navis conficiendae, aut etiam iter ipsum satis procedat! Futuri enim temporis rationes tam dubiae, variaeque sunt, ut nunquam satis eas praescire possimus. Saepius enim spes vel tutissima evanescit; sapienter igitur facere solent, qui ad omnem fortunae eventum parati sunt.

Robinson quidem experientia doctus, comite Mercuriali domum rediit; eo tamen consilio, ut

voti ardentissimi eventum deo sapientissimo, atque benignissimo committeret, quoniam iste optime intelligeret, quid ipsi conducturum esset. Sic quoque nos faciemus, o mei, cum olim eadem conditione utemur.

VESPERA DECIMA NONA.

Postero die, cum universi convenissent, nonnulli in exercenda temperantia periculum fecerant. Omnes laeto alacrique animo erant; pater vero sic cum iis colloqui coepit:

Ehem, mei liberi, quomodo vos affectos sentitis a jejunio?

Omn. Satis bene, optime! — *Pat.* Me quoque vivum videtis, etsi hodie nihil praeter lac, et aquam biberim.

Nicol. Etiam diutius me cibis abstinerem, si res postularet!

Omn. Ego quoque; neque minus nos! Parum enim molestum est!

Pat. Ut diutius cibis abstineatis, neutiquam opus est! Quin corporis valetudini hoc nocere posset. Si vero hoc optatis, alia virtutis exercitia, neque ea minus utilia, vobis proponam.

Omn. Fac quaesumus te, pater carissime!

Pat. Quod ad diem hunc attinet, quilibet nostrum consilio nostro satisfecisse mihi videtur, praesertim cum noctem proximam vigilare etiam statueritis. Quod si autem serio optatis ad eam animi

praestantiam, corporisque robur pervenire, quae vos fortes idoneosque reddant ad felicitatem humani generis promovendam, quae facienda vobis suadeam, accipite:

Sapientum veterum libros, a quibus magni praeclarique isti viri instituti sunt, quos tantopere admirati estis, cum eorum historiam vobis narravi, vestra causa perlegam. Iis nimirum praecepta ista continentur, quibus sapientes illi viri discipulos suos ad honestatem animique magnitudinem formaverunt. Tum quavis hebdomade ejusmodi praeceptum tabulae charta obductae inscribam, vobisque explicabo. Semper autem vos monebo, quaenam exercitia vobis per hebdomadem quamvis instituenda sint, ut ejusmodi praecepto obsequendo sensim assvescatis. Quo quidem in negotio saepius sponte vobis hanc vel illam voluptatem negabitis, hanc vel illam molestiam suscipietis, ut ita sensim illam animi fortitudinem acquiratis, quae nos ad cupiditates turpes vincendas, ad inopiam, damnaque aequo animo toleranda, firmos reddit. In quo quidem nos, qui aetate provectiores sumus, vobis exemplum praeibimus, nihilque a vobis postulabimus, quod ipsi praestare non audeamus. An vero hoc consilium capietis?

Universi magna cum laetitia annuunt, manibusque plaudunt. Ex isto tempore igitur sapientiae schola inter istos instituta est, quae a ceteris scholis eo potissimum differebat, quod in ea per hebdomadem dimidia tantum hora in praecipiendo, octo autem dies in praeceptis exercendis consumi solebant. Nunc ad Robinsonem nostrum convertamur!

Quibus igitur rite constitutis sic pater narrare pergit:

Quod nuper in fine narrationis meae fieri posse dixi, vere factum est!

Omni

Omn. Quidnam vero? — Pat. Dixeram equidem, saepius fieri, ut vel certissima spes hominum subito irrita reddatur, propterea que Robinsonem facile improvisa quadam re impediri posse, quin ex insula vela faciat. Quod quidem sequenti statim die accidit.

Eo scilicet die tempus illud pluvium denuo obortum est, quod Robinson multorum annorum experientia didicerat, bis quotannis sub aequinoctia ingruere. Quo tempore per duos menses continuos nullum negotium extra domum curari poterat, tanta tunc pluviae copia nulla mora interposita de coelo ruere solebat. Robinson quoque animadverterat, se in ista regione non sine magno valetudinis detrimento illo anni tempore domo exiisse, atque madefactum esse. Quid igitur faciendum erat? Negotium navis conficiendae interea differendum, tempus vero in laboribus domesticis consumendum fuit!

Jam multum profuit Robinsoni diebus his pluviis atque horis vespertinis longis iis ac obscuris ignem recuperasse, sociumque invenisse, quocum tempus inter opera domestica jucundis confabulationibus traduceret. Antea enim tristes istas vesperas sine negotio ac lumine degere eum oportuerat; jam vero cum Mercuriali ad lampadem, aut prope ignem culinarium sedens opus fecit, atque confabulatus est, neque unquam morae taedium molestum illud sensit. Mercurialis quoque varias artes eum docuit, quibus barbari conditionem suam meliorem reddere sciunt; Robinson vero illum multa docuit, quae barbari ignorant. Sic ambo in dies prudentiores, atque callidiores evadunt, multaque opera artificiosa conficiunt, quae neutri soli feliciter successerant. Tum uterque satis intellexit, quanta ex hominum amica conspiratione

oriantur emolumenta, quibus omnibus illi carerent, si bestiarum more singuli circumvagarentur.

Imprimis Mercurialis stragularum e libro conficiendarum artificium callebat, quas ille tam tenues densasque nectere sciebat, ut corpori vestiendo optime inservirent. Istam artem ex eo didicit Robinson; tum illi conjunctis viribus tantam earum copiam conficiunt, ut idoneum totius corporis vestimentum praeberent. O! quantam tum laetitiam ex eo cepit, quod amiculum illud molestum, e pellibus rigidis, neque subactis confectum, tandem abjicere potuit! Mercurialis etiam artem filorum laqueorumque e fibris nucum Cocossae variisque herbis lini naturam referentibus conficiendorum tenebat, quae funiculos a Robinsone hucusque confectos longe superabant. E filis retia piscatoria quam scitissime nectere ille didicerat, quo in opere faciendo uterque vespertas lentas jucundissime consumsit.

Haec inter negotia domestica Robinson imprimis operam dedit, ut miseri amici ingenium rude sensim excoleret, eumque veriori, meliorique dei cognitione imbueret. Quantis vero erroribus illius mens in hac re laboraverit, ex hac ejus confabulatione cum domino instituta facile intelligetur.

Robins. Dic mihi, quaeso, bone Mercurialis, quisnam mare, terram, animalia, te ipsum denique creavit?

Mercur. Ehem! *Toupan* ista creavit! — *Rob.* Quisnam est Toupan ille?

Mercur. Hem! Qui tonat! — *Rob.* Quisnam vero ille est, qui tonat?

Merc. Senex, qui omnibus ceteris rebus superstes est, quique tonitru efficit! Aetate solem, lunam, stellasque longe superat, omnesque res creatae eum adorant, o dicentes.

Ba-

Robins. Num vero populares tui post mortem in locum quendam commigrant? — *Mercur.* Sane illi quidem ad *Toupanem* revertuntur. — *Robinſon.* Ubinam vero ille degit? — *Mercur.* Altis in montibus!

Robins. Num aliquis eum ibi vidit?

Mercur. Nemini eum convenire licet praeter quam *Owokakeeis* (h. e. ſacerdotibus.) Iſti O dicentes eum interrogant, tum vero nobis oracula ejus reddunt.

Robins. Qui autem poſt mortem ad eum ſe receperunt, num felices apud eum agunt?

Mercur. Sane illi quidem, ſi magnam hoſtium copiam in terra mactaverint, atque comederint.

Quo audito Robinſon exterritus ſtatim illum meliora de deo, vitaque futura docere coepit; deum nempe inviſibilem, omnipotentem, ſapientiſſimum, atque benigniſſimum eſſe, qui omnia creaverit, omnibusque proſpiciat; ipſum vero nunquam originem duxiſſe, ubivis praeſentem eſſe, cunctaque intelligere, quaecunque nos aut cogitemus, aut loquimur, aut faciamus; eum probitatem amare, a ſceleribus abhorrere, eamque ob cauſam eum in iſta tum in futura vita neminem felicem reddere poſſe, niſi qui ex animo virtuti ſtuduerit. — Quae praeclara placita, ſolatii plena, Mercurialis magna cum reverentia, atque attentione audita animo infixit. Pluraque de iis diſcere ille optavit; cum vero Robinſon non minori cupiditate ejus erudiendi flagraret, brevi ille praecipua doctrinae de deo capita tanta cum certitudine cognovit, quantam talis praeceptor illi praeſtare poterat. Ex eo tempore Mercurialis feliciſſimum ſe praedicavit, quod e patria in hanc inſulam delatus eſſet, ipſeque putavit, deum benignitate ſola ductum, feciſſe, ut in hoſtiam po-

 teſta-

pestatem venerit; quoniam alio modo nunquam Robinsonis consuetudine frui potuisse, videretur. „Tunc autem, ait, nunquam equidem deum istum benignum cognovissem„!

Ex isto tempore Robinson preces suas semper praesente Mercuriali fundere solebat; jucundumque visu erat, quanto cum gaudio atque pietate hic eum sequeretur. Exinde ambo omni felicitate fruuntur, quae unquam hominibus a societate humana sejunctis contingere potest.

Sic illi pluviae tempus sine ulla molestia egerunt. Coelo serena facies rediit; tempestates cessavere, imbres graves aufugerant! Robinson cum socio fido purum tepidumque aerem vernum hausit; ambo novis viribus se auctos sentiunt, atque magna cum alacritate ad opus arduum ante pluviam institutum se accingunt. Mercurialis, quippe qui navis conficiendae magister esset, truncum igne exurere coepit. Quod tam celeriter, egregieque successit, ut Robinson se ipse fungum appellaret, cui ista ratio non succurrerit. Attamen sic se ipse consolatus est: vel si mihi succurrisset, equidem illa propter ignis inopiam uti non potuissem.

Facile mihi dabitis, ne longus sim in commemorando operis istius successu quotidiano; neque enim jucunditatem, neque utilitatem haec narratio esset habitura. Itaque contenti erimus hoc uno; navis scilicet, quam Robinson solus, aut nunquam, aut certe nonnisi multorum annorum spatio absolvisset, nunc conjunctis eorum viribus duorum mensium spatio penitus perfecta est. Jam praeter vela remosque nihil defuit. Hos quidem Robinson, illa Mercurialis, paranda spondent.

Theoph. Hem! quomodo velum conficere potuit, linteo carens?

Pat.

Pat. Lintei texendi artem non ille quidem calluit, neque sellam textoriam habuit; verumtamen stragulas tenues e libro conficere didicerat, quibus barbari pro velo utuntur. Ambo simul fere opus absolvunt, Robinson remos, Mercurialis vela; jam nihil superfuit, nisi ut navis a littore in mare demitteretur. Quoniam vero locus ille, in quo navem fabricati erant, longe a littore remotus erat, novum obstaculum inde ortum est; quoniam illa gravior erat, quam quae ad mare deportaretur, aut deduceretur, aut provolveretur. Quid igitur in tanta consilii inopia faciendum erat?

Dieter. Hui! Nonne Robinson vel nunc iisdem vectibus uti poterat, quibus nuper saxa ingentia solus e spelunca protruserat.

Pat. Neque vero ille oblitus erat utilitatis, quam simplex istud instrumentum ipsi praestiterat; quam ob rem nunc quoque illud adhibuit. Nihilo minus autem navis tam lente provoluta est, ut facile intelligeret, se integrum mensem in eo consumturos esse. Tandem opportune recordatus est alius instrumenti aeque simplicis, quo fabri lignarii, aliique in Europa uti solent ad magna pondera provolvenda; *cylindri* nimirum.

Frid. Quinam sunt isti *cylindri*?

Pat. Ligna teretia, atque longa, quae propter illud ipsum, quod rotunda sunt, facile provolvuntur. Ista ponderibus alio transportandis subjiciunt, quae tum mediocri vi adhibita cum cylindris facile provolvuntur.

Cujus rei periculo vix facto, Robinson magna cum laetitia vidit, quam facile navis promoveretur. Biduo exacto mari quoque committi potuit, magnaque cum voluptate ambo animadverterunt, eam satis idoneam esse. Jam nihil superfuit,

fuit, nisi, ut, quae ad proficiscendum necessaria essent, rite pararentur, imprimis vero, ut navis tantis copiis instrueretur, quantis ferendis illa sufficeret, tum ut iter diu exoptatum instituerent. Quonam vero illi cursum dirigerent? Mercurialis quidem optabat, ut in patriam suam vela darentur; Robinson autem ad continentem Americae, ubi se Hispanos, aliosque Europaeos inventurum sperabat. Illius vero patria nonnisi quatuor circiter milliaribus aberat, terra continens duodecim, aut quindecim. Quodsi autem prius ad illam tenderent, aliquot milliaria ab hac recedere eos oportebat, quo iter eorum multo periculosius reddebatur. Mercurialis contra in mari praeter viam, quae in ejus patriam ducebat, nullius, ejus autem, quae ad continentem, plane non peritus erat. Istam Robinson magis etiam ignorabat, quoniam in hoc mari nunquam navigaverat. Sic igitur denuo consilii inopia illi laborant. Tandem Robinsonis desiderium homines humanitate excultos revisendi omnes difficultates, socilque dubitationes vicit. Itaque constituunt, proximo statim die iter parare, atque primo quoque vento secundo oborto eam in regionem vela deo favente facere, ubi Mercurialis proximam oram continentis inveniri putabat.

Hoc quidem nos hodie contenti erimus; tempus enim instat, nos ad noctis vigilias rite praeparandi.

Tum universi in hypocausto vigiliis destinato congregantur; mater vero varia opera domestica ibi facienda curaverat, quibus vigiles nostri tempus nocturnum fallerent. Bini eorum in remotissimis horti locis singulatim in excubiis collocati, horae quarta parte elapsa cum tympanorum pulsu, fistularumque cantu a toto vigilum exercitu statione abducti sunt, binis aliis in excipientibus. Hora

quavis

quavis integra, elapsa nonnullis pomis omnes re-creantur. Nox aestiva quam jucundissima erat! Lunae facies dimidia in altera coeli parte, nubes in altera, quae nunquam non fulgura emittebat! Aeris grata temperies, universa rerum natura tranquilla, somno sopita! Postero mane omnes professi sunt, se nullum unquam diem, nedum noctem, majori cum voluptate egisse!

VESPERA VICESIMA.

Pat. Agite, o mei, Robinson atque Mercurialis sarcinas collegerunt; ventus secundus est. Itaque parati sitis ad valedicendum iis in perpetuum; fieri enim potest, ut nunquam eos videndi, aut de illis nova audiendi, copia nobis reddatur.

Omn. (obstup. atque tristes) Eheu! — *Pat.* Agnoscite rerum humanarum conditionem! Semper cum amicis esse non possumus; neque dolor iste, quem amicorum disjunctio nobis excitare solet, semper vitari potest. Itaque sapientis est, ad eum tolerandum pectus tempestive praeparare!

Robinson arce relicta in colle illi imminente meditabundus restitit, sociumque paullulum praecedere jussit. Tum vitae solitariae hic actae vicissitudines mente repetens magna cum animi commotione admiratus est numinis supremi consilia, quod hucusque rebus suis quam benignissime prospexerat. Lacrymis etiam laeti, gratique animi sensibus genae redundant. Tum manibus expan-

sis, atque in coelum sublatis, ex intimo pectore summoque cum pietatis ardore sic precatus est:

O! Pater coelestis, alme, atque benigne, quas tibi gratias dignas persolvam, quod tanta in me hucusque contuleris beneficia! Ecce (dum in genua se prosternit) me coram te, qui cuncta vides, in terram prostratum! Verbis equidem animi sensa nunc eloqui non valeo! Tu vero animum hunc cognoscis gratissimum! Hunc, inquam, animum a te emendatum, tui amantissimum, calamitatibus saepe fractum, a te vero semper confirmatum vides, neque praeter eum, quod tibi pro immensis tuis beneficiis reddam, quicquam habeo! Tu vero illum accipe, pater, penitusque eum, quem coepisti, emenda. En me denuo in sinum tuum paternum confugientem! Quaecunque mihi sapientia tua prospexerit, lubenter suscipiam; modo virtutis viam, in quam tu me reduxisti, nunquam deseram. Nunc equidem eo proficiscar, quo tu me duces, tuoque praesidio fretus cuivis novo periculo, quod me manebit, pectus forte objiciam! Comitare me, o Deus alme, tuere animum meum immortalem, eumque confirma, ne forte tentationibus mihi objectis ad timiditatem et impatientiam abripiar, ne unquam ingratus reddatur erga te, te inquam, aeternum felicitatis meae largitorem, creatorem, patrem, deum! —

His dictis mens ejus magnopere commota atque perturbata est. Facie in terram demissa lacrymis animum satiare cupit. Tum divino solatio confirmatus se erexit, atque carissimam istam regionem, quam mox relicturus erat, oculis perlustravit, ejus instar, qui e patria secedat, nulla cum spe ejus revisendae. Oculi lacrymantes, tristitiae atque caritatis interpretes, in arbore quavis, cujus umbra

umbra olim recreatus fuerat, in opere quolibet, a ſe non ſine multo ſudore perfecto, defixi haerent! Ab amicis disjungi ſibi videtur; cum vero tandem lamas in radicibus montis gramine conſitis paſcentes conſpexiſſet, faciem avertit, ne earum aſpectu propoſitum itineris faciendi dubium redderetur. Tandem finitis his animi perturbationibus ſe confirmavit, brachiisque verſus regionem totam, velut eam amplexurus, expanſis, clara voce exclamavit: Valete, o calamitatum mearum teſtes! Valete! Ultimum vale ſingultus erat. Jam oculis iterum in coelum ſublatis magna cum animi fortitudine in viam, quae ad littus ducebat, ſe contulit.

Inter eundum *Polum* ſuum fidum per arbores volitando ſe comitantem animadvertit. Deſiderio ejus ſecum abducendi cum reſiſtere non poſſet, manu ei protenſa exclamavit: *Pole! Pole!* ille vero celerrime deſiliit, atque e domini manu in humerum ejus proſiliit, ibique conſedit. Sic Robinſon ad Mercurialem morae impatientem pervenit; tum ambo navem conſcendunt.

Triceſimo die Novembris hora octava matutina, anno poſt amici noſtri in hac inſula adventum nono, coelo ſereniſſimo, vento quam maxime fecundo, profecti ſunt. Vix autem aliquot millia paſſuum confecerant, cum ad ſcopulorum continuorum ſeriem pervenirent, quae promontorio inſulae ſupra duo milliaria germanica in mare procurrebat. Uterque periculoſum putavit, ſaxa iſta acuta et ſuperficie aquae leniter tecta ſuperare; itaque velo in aliam partem directo ſcopulos effugere conantur.

Nicol. Quomodo autem ſcire potuerant, quam longe ſcopuli iſti in mare procurrerent, aqua ſupra eos profluente?

Pat. E fluctuum scilicet specie, qui apud ejusmodi scopulos altius effervescunt, atque spumant, quoniam a saxis coërcentur, atque franguntur.

Cum autem illi extremam partem scopulorum vix attigissent, scapham tanta cum velocitate abripi animadvertunt, ut viginti vela addidisse, procellaque ferri sibi viderentur. Exterriti ambo velum colligunt, existimantes quippe, venti impetum repentinum hoc effecisse. Frustra vero, scapha eadem rapiditate fluctus secat; mox autem magno cum pavore, se medio in fluvio marino versari intelligunt.

Frid. Hem! num in mari quoque fluvii sunt?

Pat. Sunt sane, Friderice! Maris enim ima, instar superficiei terrae continentis inaequalia sunt. Cum igitur montes, colles, convallesque in iis inveniantur, iis similes, qui in regionibus nostris sunt, aqua marina majori cum impetu in tractus declives ruit, unde medio in mari fluvii existunt, Albis nostri magnitudinem aequantes, magnaque cum rapiditate plerumque ruentes. Ex quo magna saepe pericula navibus minoribus accidere solent, in tales fluvios delatis. Ex iis enim se expedire nequeunt, saepiusque quinquaginta milliarium spatio in altum abripiuntur.

Theoph. Eheu! miser Robinson, quid nunc te fiet?

Carol. Utinam ille in insula mansisset; equidem satis ominabar, novas calamitates inde ortutas esse!

Pat.

Pat. Jam ille quidem non temeritate ductus in viam se contulit, sed sapienti consilio. Quaecunque igitur illi contingant, divini numinis providentia contingere sibi ille jure existimabit. Huic autem ille se, resque suas commiserat.

Tum ambo viribus conjunctis scapham remorum ope e fluvio propellere nituntur; frustra. Undarum potius violentia tam velociter abripiuntur, ut brevi terrae continentis planities oculis subtraheretur. Jam in discrimen vitae se pervenisse intelligunt; mox enim montium quoque cacumina altissima ex aspectu eorum recessura erant. Quod si tunc fluminis violentia paullulum remisisset, viam illi tamen invenire non poterant, qua ad insulam reverterentur, quoniam *pyxide nautica* carebant. — *Frid.* Quanam re? —

Pat. Pyxide nautica, inquam. Nicolaus, qui navis praefectus fieri cupit, ejus rationem tibi declarabit.

Nicol. (subrid.) Utinam omnia alia, quae ad istud negotium requiruntur sic equidem tenerem! — Pyxis nautica acu magnetica constat capsulae inclusa!

Frid. Hem! *acus magnetica*, quid hoc rei est?

Nicol. Acus chalybea, lapide, quem *magnetem* vocant, attrita! Ex quo fieri solet, ut acus illa miram virtutem nacta semper versus septentrionem tendat. Secundum istam nautae cursum dirigere solent, cum praeter aquam et aerem nihil in mari vident. Alioquin enim in Oceano facile erroribus obnoxii forent, neque, ad quam coeli regionem tenderent, intelligerent.

Pat. Istane intellexisti Friderice? — *Frid.* Satis equidem! Pergas velim!

Pat.

Pat. Tali pyxide nautica Robinſon carens, viam, qua rediret, invenire non potuit, infauſta oculis ejus ſubducta! Quantae vero calamitates tunc eum manebant? Quid enim horribilius cogitari poteſt, quam medio in oceano ſcapha exigua atque fragili vectum aliquem circumagi, neque praeter aliquot dierum victum ulla re inſtructum?

Quantum vero praeſidium vera pietas, atque animi innocentia iis, qui calamitatibus opprimantur, eſſe ſoleat, nunc Robinſonis conditio optime docet. Si enim illis noſter nunc caruiſſet, quomodo novorum malorum vim ſuſtinuiſſet? Deſperans nempe de ſalute, vitam miſeram violenter ſibi eripuiſſet, ut mortem lentam atque ſaevam, quam ipſi fames minabatur, effugeret. Socius contra, quippe qui nondum pietate ſatis confirmata diuturnisque calamitatibus perferendis ſpectata eſſet, parum abfuit, quin de ſalute deſperaret. Corporis enim viribus exhauſtus, animoque debilitatus remum abjecit, dominumque miſerabili vultu aſpexit, interrogans: annon e nave proſilientes uno impetu calamitatibus inſtantibus morte ſe erepturi eſſent? Initio Robinſon blandis verbis eum erigere, animumque ejus confirmare tentat; tum leni voce arguit, quod tam parum deo ſapientiſſimo confidat, eique, quae de divina providentia ipſum docuerat, in mentem revocat. „An vero, ſic pergit, in terra tantum continente dei omnipotentis in tutela ſumus? Nonne ille quoque Oceani moderator fluctibus ſaevis imperare poteſt, ut nos in locum tutum reportent? An tu exiſtimas, te ejus imperio te ſubducturum, cum in mare te projeceris? Cogita potius, juvenis temerarie, animum tuum immortalem perpetuum fore civem immenſi regni divini, eumque felicitate aeterna plane frui non poſſe, ſi rebellis

bellis erga deum ex hac vita aufugerit, neque creatoris imperium expectaverit!

Quorum Robinsonis dictorum veritatem Mercurialis penitus sensit, atque erubuit. Remum quoque Robinsonis hortatu recepit, amboque haud intermisso labore niti pergunt, etsi nulla spes salutis recuperandae supererat. Hoc autem, Robinson inquit, nostrum est! Quousque vel vitae flammula nobis inest, omnibus viribus anniti nos oportet, ut eam servemus! Tunc, si ita fieri necesse est, nos morientes consolabimur, quod deus sic voluerit. Illius vero consilia, care Mercurialis, — sic Robinson altiori voce, ingenuoque cum animi ardore pergit.— illius, inquam, consilia nunquam non bona ac sapientia sunt, etiamsi nos, qui mortales imbecilli sumus, ea non intelligamus!

Interea fluvius magna cum violentia ruit! Scapha cum eo abripitur, neque praeter montium nonnullorum cacumina ulla pars insulae jam conspici potest. Jam unici altissimique montis fastigium superest, omnisque spes salutis recuperandae evanescit!

Verum enim vero cum humana auxilia nulla supersunt, atque mortalium conditio tantopere afflicta est, ut de salute iis desperandum esse videatur: tunc numinis alma providentia iis praesentior quasi succurrere, atque auxilia quam maxime inopinata praestare solet. Haec quoque nostrorum conditio fuit. Cum enim Robinson omnem vitae conservandae spem abjecisset, atque debilitate oppressus remum agere desiisset, subito scaphae rapidum cursum paullum imminui animadvertit. In aquam marinam intuens minus eam turbulentam invenit. Mox e superficie maris intellexit, fluvium eo loco divisum esse, maximamque

que ejus paullum ad ſeptentrionem tendere, alteram lentiorem, qua ſcapha nunc ferebatur, incurvatam ad meridiem ſe convertere! Jam incredibili cum laetitia ſocium ſemimortuum excitat his verbis: Macte animo, Mercurialis, deus vitam nobis conſervabit! Tum eum docet, quibus de cauſis hanc ſpem conceperit. Ambo laetabundi atque jubilantes remos arripiunt propter infirmitatem antea abjectos. Jam dulci, atque inopinata vitae conſervandae ſpe confirmati incredibili vi adverſus fluvium nitentes, laeti animadvertunt, laborem ſuum irritum non eſſe. Robinſon, qui diuturnis malis ſingula obſervare didicerat, ventum quoque nunc ſecundum eſſe animadvertit. Extemplo velum expandit; vento illud alacriter impellente, ipſis vero ſtrenue remigantibus, brevi a fluvii violentia ſe vindicatos, atque in maris tranquillam ſuperficiem delatos magna cum voluptate vident.

Mercurialis exhilaratus flevit, atque exſiluit dominum amplexurus. Qui autem eum rogavit, ut animum cohiberet; non contemnendam laboris partem ſupereſſe, donec a periculo ſatis liberati viderentur. Eo usque enim jam ab inſula rejecti erant, ut eam ceu maculam nigram in extrema horizontis parte conſpicerent.

FRID. Horizontis? Quid hoc ſibi vult?

PAT. Cum olim in apertum campum prodiiſſes, nonne coelum rotundum atque convexum terram pertingere tibi viſum eſt?

FRID. Animadverti equidem! — *Pat.* Circulus vero ille, qui terram a coelo disjungere videtur, *Horizon* appellatur, de quo plura audies!

Nautae alacres remos gnaviter impellunt ventus tam ſecundus verſus partem inſulae orienta-

lem,

lem, ad quam illi tendebant, spirat, ut brevi montium cacumina rursus eminentia viderent. „Macte! Mercurialis, sic Robinson socium in prora facie aversa sedentem excitat, macte animo! Calamitatum nostrarum finis appropinquat!“ Quibus vix etiam dictis scapha tam vehementer impulsa est, ut ambo remigantes e sedibus in carinam proturbarentur. Extemplo cymba quoque constitit undis ejus oram superantibus.

Mat. Quanquam, o mei, equidem eadem cum voluptate, qua vos, coena carere vellem, si miserum nostrum amicum eo servare possemus, abeundum tamen nobis nunc erit. Coena nos expectat; Johanna bis jam nos vocavit!

Omn. Ehem!

VESPERA VIGESIMA PRIMA.

Nonnulli conclam. Propera, quaeso, dulcissime pater; ut audiamus, quid misero Robinsone factum sit?

Pat. Dum ille se servatum putat, nova calamitate opprimitur, uti jam audivistis, quae priorem facile superare posse videtur. Scapha subito affixa haeret, fluctus oram ejus superant. Quod si illa vero saxo nunc allisa erat, sine dubio pereundum ipsis fuit. Robinson quam velocissime remo aquae fundum scrutatur; quem cum satis firmum apud navem invenisset, aquae vero profunditatem mediocrem, illico e scapha se projecit.

Mercurialis sequitur, amboque, magna cum voluptate animadvertunt, se in arena, non in saxo haerere. Tum viribus conjunctis scapham in aquas profundiores ducere student; quod ex voto cessit. Navis quippe natare incipit, amboque in eam resiliunt.

Carol. Jam miser Robinson gravedinem ducet pedibus frigore laesis.

Pat. Si quis, o bona, vitae genere laborioso et simplici corpus durum reddiderit, a levi ejusmodi re gravedinem ducere non solet. Noli igitur timere!

Joh. Hem! Ne nos quidem hoc patimur, saepius enim pedes nostri hieme praeterita frigore impune laesi sunt!

Pat. Ex eo intelligetis, nostrum vitae genus corporibus corroborandis jam profuisse. — Nautae igitur aqua, quantum manibus remisque fieri potuit, exhausta cautius agere, velaque contrahere constituunt, ut navem potentius dirigerent. Sic illi latus pulvini legunt, sperantes fore, ut brevi ad ejus finem perveniant. Veruntamen quatuor horas integras laborare eos oportuit, antequam hac spe potirentur, in tantum syrtis illa a septentrione ad meridiem extensa erat. Robinson animadvertit illam in eam maris regionem continuari, ubi ipse ante novem annos naufragium fecerat. Tandem plenis undis potiuntur, omnibusque viribus connisi ad insulam tendunt, quae jam oculis eorum patebat. Tandem littus assequuntur, cum ultimi solis radii montium cacumina illustrarent, atque magnopere debilitati, quanquam de salute recuperata laetissimi, in terram escendunt. Uterque hoc die plane cibis abstinuerat. Itaque expectare non possunt, dum in arcem

arcem

arcem redeant; sed in littore statim consident, atque e copiis navi commissis genio abunde indulgent. Tum scapham in sinum mediocrem maris protrahunt; cetera, quae in nave secum habuerant, domum reportant. —

Nicol. Ehem! Narratio tua jamne finita est?

Pat. Robinson et Mercurialis nunc ad lectum se contulerunt; hic quoque profundo somno sopitus jacet, ille vero deo pro iterata salutis conservatione gratias pias ardentesque agit. In quo eum imitari possemus, nisi satis magna diei pars adhuc nobis superesset. Hanc vero ob causam noctis istius ratione non habita vobis etiam narrabo, quid postero die actum sit.

Heus, Mercurialis, Robinson inter jentaculum ex eo quaerit, iterumne in discrimen te conjiceres mecum, hesterno simile? — *Mercur.* Bona verba, quaeso!

Robins. Itaque vitam tuam hac in insula mecum consumere statuisti?

Mercur. Modo pater meus etiam nobiscum esset?

Robins. Ergone pater tuus etiam dum vivit?

Mercur. Siquidem interim non sit mortuus!

His dictis tuber solanorum seposuit, lacrymis ora redundant. Robinson parentum etiam suorum recordatus flevit. Ambo magna magnopere commoti aliquamdiu silent.

Robins. Bono sis animo, Mercurialis! Pater tuus etiam vivet, proxime deo favente ad eum huc transvehendum proficiscemur.

Quod Robinsonis promissum Mercurialem laetabundum extra se rapuit! Ululans exsiliit, domini-

que genua enixe amplexus, ſingultibus crebris vo-
cem oppreſſit.

O mei liberi; mater tum exclamat, quantam
videtis in barbaro pietatem! In barbaro inquam,
qui patri neque educationem, neque inſtitutionem,
ſed vitam ſolam, eamque miſerrimam, acceptam
referebat! „Dubitari ergo nequit, ſic pater per-
rexit, deum animum humanum natura ipſa iam
ad pietatem formaſſe! Monſtrum itaque homi-
iſſe mihi videretur — ſiquidem inter eos, qui hu-
manitate exculti ſumus, talis reperiretur —
oppreſſo hoc naturae impetu parentes contem-
ret, aut triſtitia et aegritudine nos afficeret.
Quodſi vero unquam monſtrum ejusmodi humanae
naturae inveneritis, nolite ſub eodem tecto cum
iſto degere; quin potius hunc hominem fugite,
ceu peſtem humanae ſocietatis, quippe, qui ad
omnia facinora perpetranda audax, deique juſtiſ-
ſimis poenis obnoxius ſit!

Poſtquam Mercurialis ſatis ad ſe redierat, Ro-
binſon eum interrogavit, an viam in patriam ſuam
ita calleret, ne iterum ab ancipiti periculo oppri-
merentur? Ille vero affirmavit, ſe ejus itineris
tam eſſe gnarum, ut vel noctu illud facere aude-
ret; ſaepius enim cum popularibus huc ad cele-
brandas victorias profectum eſſe.

Robins. Tunc igitur ſaepe adfuiſti, cum ho-
mines mactati ſunt?

Mercur. Adfui equidem! — *Robinſ.* Iis-
que veſci non dubitaſti?

Mercur. Non diffiteor, eheu! Tum autem
neſciebam, hoc nefas eſſe!

Robins. Quamnam vero ad partem inſulae
noſtrae navem appellere vos conſueviſtis?

Mer.

Mercur. Ad meridionalem oram ſcilicet, quoniam illa nobis proxima arboribusque Cocoſſae conſita erat.

Ex eo Robinſon magis intellexit, deum magna cum ſapientia, ac benignitate curaſſe, ut ipſe in ſeptentrionali, non in meridionali inſulae ora naufragium faceret; alioqnin enim brevi a barbaris in captivitatem abductus fuiſſet. Denuo autem Mercuriali pollicetur, ſe proxime ad patrem arceſſendum profecturos eſſe; quo ille magnopere laetatus eſt. Nunc vero inſtare tempus horti colendi, propterea iter differendum eſſe.

Iſti igitur operi ſtatim manus adhibentur. Robinſon cum Mercuriali fodiendo certat; a labore autem vacantes, inſtrumentis aptioribus conficiendis intenti fuerunt. Robinſon, cujus ingenium patientiam aequabat, raſtrum quoque tandem confecit ſibi, etſi ad foramina perforanda nihil niſi lapidem acutum improbo ſane labore adhibere potuit. Mercurialis autem ſenſim cultro lapideo e lignis adeo duris duas ſpathas ſculpſit, ut ferrearum fere uſum praeſtare viderentur.

Jam Robinſon rebus ad vitam ſuſtentandam neceſſariis non diutius contentus paullatim domicilio exornando animum adjecit. Quam rationem, o mei, homines ſemper ſecuti ſunt! Quoad illos victui quaerendo, aut vitae praeſidiis intentos eſſe oportuit, ab iis artibus plane ſe abſtinuerunt, quae nonniſi ad res exornandas ſpectant, quaeque animis humanis puriorem voluptatem praebent illa, quam e jucundo ſenſuum motu, qui brutis etiam datus eſt, capiunt. Vix autem vitae ſuſtentandae atque defendendae praeſidia ſatis inventa fuerunt, cum illi utili pulcrum, neceſſario jucundum adjungere

coeperunt. Sic architectorum, pictorum, statuariorum, musicorum, aliorumque artes; quae elegantiorum nomine continentur, sensim inventae sunt!

Robinson quidem horti colendi atque exornandi initium fecit. Scilicet illum rite in areas justas dividit; has tramitibus rectis secat, sepes vivas, umbracula, arborumque binas series plantat; hanc horti partem floribus, illam oleribus, istam arboribus frugiferis destinat. In hoc quidem plantat quicquid malorum citrearum tenerarum reperiri potuit; magnamque vim aliarum arborum, quibus surculos arboris paniferae insevit. (Oblitus sum mirum eram vobis narrare, illum in sylva ambulantem alteram ejusmodi arborem invenisse.) Quod Robinsonem facientem videns Mercurialis, valde miratus est, ignarus quippe hujus negotii; mox autem ab illo ejus rationem didicit. His peractis solanorum, Zeaeque magnam copiam plantavit; cum autem ager iste inde a mundo condito cessasse videretur, plantae quam uberrimae succreverunt.

Interdum pisces quoque capere tentant; Mercurialis enim, quod nuper vobis narravi, rete pluviae tempore confecerat. Tantam vero quovis jactu copiam eorum ceperunt, ut plures etiam in aquam rejicerent; Robinsone sapienter existimante, de muneribus divinis neminem plus sibi tribuere debere, quam quod ad vitam bene beateque vivendam sufficiat; nefas igitur esse, si quis plura animalia innocua interficiat, quam quae ad victum quotidianum requirantur.

Tunc quoque lavari plerumque solebant; in quo Robinson incredibilem Mercurialis natantis, atque se submergentis peritiam admiratus est. Scilicet ille opera data littus saxosum quaerit, in

quo

quo fluctus terribili cum fragore rumperentur. In istos lubens superne desiliens, aliquamdiu sub aqua moratur, ut Robinson ei magnopere timeret, tum supra aquae superficiem revertitur, dorso supinus nititur, ut ab undis libretur; variasque praestigias agit, quae omnem fidem narrando superaturae essent. In quo tamen Robinson humanae naturae incredibiles facultates satis mirari non potuit; quippe quae omnibus rebus idoneae essent, quibus a tenera juventute exercendo assuevissent.

Aliis diebus venatione delectati sunt; Mercurialis enim tam arcuum atque sagittarum conficiendarum, quam adhibendarum, peritissimus erat. Aviculas pullosque Lamarum dejiciunt; nunquam tamen majorem eorum copiam, quam quae usui ipsorum necessaria esset, quia Robinson, ut antea dixi, jure meritoque nefas putabat, animal qualecunque animi causa, aut temere interficere, aut vexare.

Etsi autem Robinson bonum Mercurialem ingenio variisque artibus superabat, hic tamen multarum etiam rerum peritus erat, domino antea ignotarum, nunc vero ipsis valde utilium. Scilicet varia instrumenta ex ossibus, lapidibus, conchis, aliisque rebus conficere sciebat, quibus varia opera eodem successu tractavit, ac si ferreis instrumentis instructus fuisset. Sic v. c. ex osse brachii humani, quod forte invenerat, caelum, e corallis radulam, e conchis cultrum, ex aspera pelle piscis cujusdam limam confecit. His omnibus variam supellectilem paravit, quae ipsorum conditionem multo laetiorem reddidit.

Magnam imprimis utilitatem ex eo Robinson cepit, quod Mercurialis eum docuerat, e fructu

 arbo-

arboris paniferae massam depsere pani nostro similem. Ejusmodi massam barbari crudam comedere solent; Robinson autem eam in lapide calido torrefecit, eaque in posterum pro pane usus est quotidiano. Tum e Mercuriali fabarum Cacaoticarum usum didicit, quas olim insulam perlustrans invenerat, secumque nullo fere consilio abstulerat. Prope ignem eas, tuberum solanorum instar, positas torrefecit. Quo facto cibum non contemnendum, atque valde salubrem illae praebuerunt.

Robinson, qui nova experiri amabat, nonnullas earum torrefactas inter duos lapides contundit, pulverem contritum ollae lacte Lamarum repletae committit, quam ad ignem collocat. Quam ille vero cum admiratione ac voluptate invenit, jusculum istud verum potum Cacaoticum referre!

Frid. Euge! Potum Cacaoticum!

Pat. Sane quidem, nisi quod aromate, saccharoque conditus non erat. — Sic sensim boni Robinsonis copiae, atque gaudia aucta sunt! At tamen hoc in ejus laudem dixerim, illum magna cum animi constantia in consilio vitae sobriae simplicisque agendae perseverasse.

Tum ambo saepius longis peregrinationibus totam insulam perlustrant, iis praesertim diebus, quibus ventus barbaris contrarius spirabat; multa quoque passim invenerunt, e quibus magnam utilitatem capere possent. Tandem horto rite culto dies constituta est, ad iter in Mercurialis patriam faciendum, ejusque patrem deducendum. Quo magis autem tempus itineri destinatum appropinquavit, eo saepius Robinson timere coepit, ne a popularibus Mercurialis crudeliter tractaretur. Fieri enim posse, ut illi neglectis ejus admonitioni-

bus

bus se hospitem mactarent, saevamque famem humanae carnis suo corpore sedarent! Itaque diutius se tenere non potuit, quin hunc timorem amico indicaret; qui quidem magna cum religione Robinsoni affirmat, timorem ejus vanum esse; se popularium suorum animos satis perspectos habere, atque certissime scire, illos neminem laedere, nisi hostem. Robinson illi fidem habuit, omnique metu abjecto amici probitate confisus proximo mane deo auspice cum Mercuriali proficisci constituit.

Hac mente scapham, quae hucusque in littore constiterat, in aquam retrahunt, paloque in terram defixo alligant. Vespere proximo tubera solanorum torrent, aliosque cibos apparant, ut octo certe dierum victum secum deportent. Tum Mercurialis non contemnendam artis culinariae peritiam ostendit, dominumque docuit, lamae pullum multo caesum longe minori temporis spatio emollire assando, quam in veru fieri potuit. Quo quidem in negotio sic ille versatus est. Foveam duos circiter pedes profundam in terra fodit, eamque alternis lignorum aridorum et lapidum planorum stratis replevit. Tum lignis istis incensis, lamae pullum super ignem tenet, pilorum exurendorum causa; quo facto concha tam scite eos abrasit, ut aqua calida deglabrati viderentur. Eadem concha lamae ventrem aperuit, ad exta protrahenda. Ligna interim in carbones mutata fuerunt; fovea penitus incaluerat, lapides excanduerant. Tum lapides cum carbonibus quam velocissime e fovea protrudit, nonnullos vero lapidum candentium in ejus fundum demittit, foliisque Cocossae viridibus contegit. His lamam imponit, iterumque foliis interjectis caeteros lapides ferventes superaddit. Tum foveam terra complet.

Horis aliquot elapsis fovea aperta, lamaque extracta est. Robinson carne ejus gustata, inficiari nequit, longe molliorem, succulentiorem, atque jucundiorem illam esse ea, quae in veru assata sit. Itaque in posterum semper eadem ratione uti constituit.

Joh. Eandem rationem Otahitani in canibus assandis sequuntur!

Pat. Sane illi quidem!

Theoph. Canibusne illi etiam vescuntur?

Joh. Nonne vero hoc hieme elapsa legimus? Angli quidem, qui istis epulis affuerunt, gratissimi saporis illos esse perhibent.

Nonn. Fi!

Pat. Cogitare vos oportet, canes Otahitanos longe alio victu uti, quam nostrates. Carne neutiquam vescuntur, sed fructibus aluntur. Quamobrem eorum caro meliorem sane saporem habere videtur, quam nostrorum habitura esset.

Jam, o mei liberi, omnia ad iter faciendum parata sunt. Itaque peregrinatoribus nostris placidam noctis quietem concedamus, tum autem videbimus, quidnam illis cras eventurum sit.



VESPERA VIGESIMA SECUNDA.

Pat. Robinson et Mercurialis vix horam dormiverant, cum ille saeva tempestate interim oborta subito expergefactus est. Procella horrendum furit, tonitruum fragor auditur, terra contremiscit!

cit! „Audisne, Mercurialis, sic Robinson socium interrogat. Eheu! respondet ille, si haec tempestas nos in mari deprehendisset! Quibus vix dictis, repente illi fragorem audiunt, tormenti explosi sonitum aequantem. Mercurialis tonitru esse putat; Robinson autem plane non dubitat, quin sonitum tormenti audiverit, animusque ejus laetitia simul, atque stupore perfunditur. Extemplo e strato se corripit, in culinam procurrit, Mercurialemque sequi jubet. Inde titione arrepto scalam sparteam conscendit. Quod Mercurialis imitatus est, quanquam domini consilio non perspecto.

Tum Robinson in cacumine montis quam celerrime ignem laetum accendit, quo calamitate oppressis, significaret, apud se illis perfugium praeberi. Putavit nimirum, navem in propinquo esse, quae cum periculo conflictaretur, proptereaque tormentum exploserit. Vix autem flamma efflagravit, cum repentino imbre ignis illico extinctus est. Robinson et Mercurialis in cavernam se recipere coguntur, ne aquis abripiantur. —

Jam procella furit, imber strepit, tonitru murmurat, magna cum vehementia! Fulmina continuantur; quamquam vero Robinson subinde fragores tormentorum audire sibi videbatur, tandem ipse dubitare incipit, annon tonitrua tantummodo audiverit? Nihilo magis tamen per totam noctem dulcem spem animo fovit, navem ad se liberandum in propinquo esse, eamque e periculo instanti feliciter evasuram, atque ipsum cum Mercuriali fido in Europam reportaturam. Decies ille novum ignem accendere conatur, pluvia vero non desinens semper illum restinxit. Itaque nihil faciendum supererat, nisi ut pro miserorum illorum salute deum precaretur; quod ille magno cum animi ardore fecit.

Theow. Bene nunc tempestates non aeque horret, ac antea?

Pat. Vides sane, eum timorem istum ineptum nunc deposuisse! qua vero de causa hoc factum putas?

Joh. Quoniam nunc malefactorum conscientia non amplius perturbatur.

Pat. Verissime dictum! Hoc quoque in causa fuisse videtur, quod ille nunc penitus intellexit, deum benignissimum esse, propterea que hominibus probis justisque nihil nisi ea contingere posse, quae ipsis quam maxime conducant.

Tempestas non nisi die oborto furere desiit. Jam Robinson comite Mercuriali dubius inter spem et metum, ad littus procurrit, exploraturus, an audiendo erraverit? Primus autem aspectus utrumque, imprimis autem Mercurialem magnopere afflixit. Procella nimirum scapham avulsam in altum mare projecerat! Miserabili visu, Mercurialem gestientem aspicere, cui nunc dulcis spes patris revisendi subito erepta erat. Expalluit quippe, mutus aliquamdiu haesit, oculis torvis in terram defixis, animusque e corpore migrasse videbatur! Tunc lacrymas profundit, manus torquet, pectus pulsat, crines evellit! Robinson, qui propriis malis aliorum misereri didicerat, misericordia commotus amicis lenibusque admonitionibus eum ad tranquillitatem animi reducere studet. „Nonne vero, sic eum alloquitur, conducere etiam nobis potest, scapham amisisse? Nonne tempestas ista, quae illam nobis eripuit, permultis aliis hominibus, nonne nobis ipsis magna emolumenta praestare potest?“ Magna scilicet emolumenta! respondet ille subindignatus, scapham nobis eripuit, cetera nihili sunt! — „Tu igitur putas, sic excipit

cipit Robinson, deum sapientissimum nulla alia de causa hanc excitasse tempestatem, nisi ut scapha nostra abriperetur, quoniam imbecilla mens nostra intelligere nequit, quaenam alia per illam effecta sint? Audesne, stulte, dei supremi consilia dijudicare?

Ehem! Mercurialis interrogat, quamnam utilitatem illa nobis praestiterit? Scilicet hoc ex me quaeris? Robinson respondet. An vero tanta intelligentia ego praeditus sum, ut ejus, qui mundum gubernat, consilia perspicere possim? Conjicere equidem haec vel illa potero; me autem recte judicasse, quis est, qui spondeat? Forsitan in insula nostra tanta vaporum insalubrium copia collecta fuerit, ut tempestate opus esset, ad eos dissipandos, ne ambo morbo afficeremur, aut etiam periremus? Aut etiam scapha relicta nos in perniciem duxerit? Fortasse — Quin conjecturis istis potius abstineamus, cum nobis sufficiat scire, deum esse tempestatum moderatorem, simulque patrem sapientem, atque benignum omnium rerum creatarum!

Tum Mercurialem poenituit stultitiae suae, divinaeque providentiae ille se commisit. Robinson interim oceanum immensum oculis pererrat, si forte navem alicubi conspicere possit. Frustra navis nulla conspici potest. Ex eo intellexit errorem suum, neque amplius dubitavit, sonitum illum, quem aliquoties audiverat, tormentique fragorem putaverat, verum tonitru fuisse. Itaque tristis domum rediit, quod spe tam laeta denuo frustratus esset! Ibi autem requiescere plane non potuit, quoniam navis apud insulam ancoras jacientis imago menti ejus semper obversabatur. Montem igitur denuo conscendens, unde ora occidentalis oculis

oculis perlustrari poterat, neque inde conspicere potuit, quo dulce istud somnium animum suum deluserat? Hoc tamen nondum contentus animique perturbatione compulsus, ad alium montem se contulit, longe altiorem illo, orientalem insulae oram inde observaturus. Brevi illum conscendit; cum vero ad ejus fastigium pervenisset, aciemque versus regionem Orientalem direxisset — bone deus! quam ille laetatus simul atque attonitus fuit, cum vidit, — conjecturam suam non vanam fuisse! — *Omn.* Oh! — *Pat.* Navem scilicet permagnam conspexit, tamque perspicue, etsi satis longe aberat, ut nulla amplius dubitatio superesset. Jam hoc mihi dabitis, o mei, ut vobis laetitiam incredibilem Robinsonis verbis exprimere supersedeam! Anhelans quippe ad arcem ille recurrit; armis arreptis, sine quibus domo exire non solebat, Mercuriali obstupescenti nihil dixit, nisi verba ista: *Adsunt! Cito, citissime!* — Tum quam velocissime scalam denuo conscendit atque evasit, velut alis praeditus.

Mercurialis dominum tanta animi perturbatione trepidantem, atque verba quaedam abrupta vix proferentem videns, barbaros adesse putavit. Itaque ille quoque armis correptis eadem velocitate eum secutus est. Tum illis duorum milliarium via percurrenda fuit, antequam in locum navi oppositum pervenirent. Neque antea Mercurialis audivit, quidnam accidisset? Robinson e longinquo navem ei ostendit, quam ille magnopere miratus est. Quamquam enim illa satis remota erat, clarissime tamen cernit Mercurialis, eam centies superare vel maximam navem, quam hucusque vidisset.

Robinson prae laetitia mire gestiens, nunc exsultat, nunc jubilat, nunc Mercurialem amplectitur, eumque lacrymans obtestatur, ut etiam laetetur.

Jam

Jam in Europam tenditur, jam Hamburgum. Ibi popularium ipsius vitae rationem ille visurus erat, qualia aedificia illi exstruerent, quam bene, beateque ibi viveretur! — Incredibili verborum flumine Robinson abripitur. Credo quoque, eum usque ad diem crastinum sermonem hunc fuisse continuaturum, nisi subito secum reputavisset, stultum esse, tempus inutilibus verbis terere, necessarium vero, ut iis, qui nave ista veherentur, se ipsum indicaret. — Quo vero modo? De hoc quidem incertus erat.

Primum alta voce clamavit, mox autem intellexit, vanam hanc operam esse; quamquam ventus inter tempestatem commutatus fuerat, ita ut ab insula navem versus spiraret. Itaque amicum suum quam celerrime ignem accendere jussit, qui a navi conspiceretur. Quo celeriter effecto, Robinson flammam ad coelum efflagrantem excitavit. Interim oculos in nave defigit, exspectans, scapham subinde ex ea demissam ad se venturam. Quae tamen spes eum fefellit. Tandem igne per horam fere frustra nutrito Mercurialis domino proponit, se quam longissime possit, ad navem pronataturum, iisque, qui in ea veherentur, significaturum, ut accedant. Robinson eum amplexus rogat, ut de vita sua conservanda sollicitus sit. Tum Mercurialis vestes e stragulis confectas abjicit; ramum viridem avulsum ore prehendit, audaxque in aquam prosilit. Quem Robinson ardentissimis votis comitatus est.

Carol. Quo consilio ramum viridem secum ille aufert?

Pat. Ramus scilicet viridis apud barbaros pacis est signum; quicunque ita instructus ad illos

accef-

accesserit, eum laedere non solent. Securitatis causa eum igitur secum abstulit.

Mercurialis feliciter ad navem accessit, tum aliquoties eam circumnatans exclamat: *Holla!* Nemo autem ei respondit. Tandem scalam in nave animadvertit ex ejus latere dependentem; ad quam ille propius accessit, eamque, ramo viridi manu prehenso, conscendit. Cum autem eousque ascendisset, ut stegam oculis perlustrare posset, aspectu bestiae ignotae exterritus fuit. Nigra, et villosa erat; simulac Mercurialem conspexit, vocem prodidit, cujus similem ille nunquam antea audiverat. Mox autem tacuit, adeoque blandita est, ut Mercurialis timorem ex ea conceptum deponeret. Supplex quippe arrepit, caudam motitans, adeoque miserabiliter ejulat, ut Mercurialis facile intelligeret, illam perfugium apud se quaerere. Itaque, cum usque ad pedes ejus prorepsisset, eam demulcere audet; quo illa mirifice laetata est.

Tum Mercurialis in stega circumivit, altaque voce exclamare perrexit; nemo autem conspici potuit. Jam mirabiles istas res stupet, quas in stega videbat, dorso ad scalam, qua in interiorem navis partem descensus erat, verso. Subito autem tanta cum vehementia tergum percuti sensit, ut pronus in terram caderet. Terrore perculsus se erexit, atque cum respexisset, attonitus haesit, animal satis magnum, cornibus longis atque curvis, barba ingenti, videns, quod iterum minaciter in pedes posticos se erigebat, ut eum denuo salutatione exciperet. Mercurialis alte clamans, illico in mare prosilit. Prior autem bestia, quam e descriptione mea satis agnovisse videmini — *Joh.* Euge! Canis villosus!

Pat.

PAT. Rem acu tangis! — Canis, inquam, ille Mercurialem imitatus e nave profilit, eumque natando sequitur. Ille vero strepitu canis natantis audito, putavit, monstrum alterum cornutum se fuisse secutum, adeoque propterea exterritus est, ut vix pronatare valeret; parum abfuit, quin in maris fundum demergeretur. Ex eo rursus intelligetis, quantopere hominibus timiditas noceat, illamque saepius in ea pericula te conjicere, quae satis vitare possis, nisi ei obnoxius sis. Ille quidem respicere non ausus, cum paullulum respiravisset, tam velociter pronatat, ut canis eum vix sequi posset. Tandem littus assequitur, vocis animique impos ad pedes Robinsonis procidit. Canis quoque non ita multo post terram attigit.

Robinson nihil intentatum reliquit, quo fidum vitae solitariae socium reficeret. Scilicet illum osculatus, demulcet, concutit; nomine vocat; tamen non nisi aliquo temporis spatio elapso, Mercurialem oculos recludere, vitaeque redeuntis signa edere laetabundus vidit. Tandem vocis usu recepto, narrare incipit, quale portentum viderit; navem montem ligneum ingentem videri, e quo tres arbores altae (mali scilicet) procreverint; bestiam illam nigram sibi abblanditam fuisse, monstrum vero cornutum atque barbatum se interficere voluisse; se quoque putare illud montis lignei natantis dominum esse, quod nullum hominem in eo viderit. —

Robinson ejus narrationem miratus, mox intellexit, monstrum illud cornutum nihil aliud nisi capram esse, praeterea quoque existimavit, navem scopulis adhaesisse homines vero, qui ea vecti essent, illa relicta in scaphas se recepisse. Quo tamen illi confugissent plane intelligere non potuit.

tuit. Si enim in insulam se recepissent, eum ad locum appellere debuisse videbantur, ubi ipse nunc cum Mercuriali erat; ibi autem nihil neque conspici, neque audiri potuit. Quodsi autem cum scaphis submersi fuissent, corpora, et scaphae eorum ad littus compelli debuisse videbantur. Tandem meminit, ventum inter tempestatem subito commutatum fuisse, atque ab oriente spirasse, cum antea ab occidente spiraverit. Quo quidem obscuram hanc rem illustrari putavit.

Sane istos, postquam in scaphas se receperint, ventus subito ab oriente spirans impedierit, quo oram nostram attingerent. Tempestate occidentem versus compulsi, aut naufragium fecerunt, aut fluvio maris abrepti, aut ad insulam quandam occidentalem rejecti sunt. Utinam hoc postremum evenerit, suspirans ait; atque cum Mercuriali sententiam suam communicat, qui quidem eam a veritate non alienam putavit. Quid autem nunc faciendum est? Robinson quaerit. Sive enim homines illi mortui, sive vivi atque vento tantum abrepti sint, optimum factu erit, e nave quam maximam copiam rerum utilium servare. Quomodo autem? cum scapha careamus? Jam cymbae damnum non aequius sensit, quam antea Mercurialis fecerat. Frontem fricat, excogitaturus aliquid, quo ejus damnum solaretur; diu autem nihil reperire potuit. Nimium enim temporis novae cymbae conficiendae impendi debebat. Neque vero ille ad navem pronatare ausus est, quoniam navis nimis remota erat; praeterea quoque natans pauca aufferre poterat. — *Joh.* Equidem satis scio, quomodo mihi consuluissem?

Pat. Quo tandem? — *Joh.* Ratem colligassem.

Pat.

Pat. Istud ipsum Robinsoni quoque in mentem venit! Ratis quidem, sic ille reputat, brevi construi poterit!

Frid. Quidnam hoc rei est, *ratis?*

Joh. Nonne animadvertisti, Friderice, cum nuper ad celocem nos contulimus, in Albi apud portam magnam copiam ratium ejusmodi stare?

Frid. Ehem! tignis aliquot constant, ita colligatis, ut commode iis insistere, iisque vehi possis, velut in nave!

Pat. Satis bene! Talem scilicet ratem Robinson constructurus, atque ea ad navem magnam profecturus erat, ut quam plurima inde aufferret. Tum cum Mercuriali consilium iniit, ut alteruter domum recurreret, dieique victum cum omni funium copia ceterisque instrumentis necessariis inde peteret. Mercurialis, qui cursu velocior erat, ablegatur. Robinson autem remansit, arbores interim rati conficiendae idoneas caesurus. Mercurialis non nisi sub vesperam rediit. Interea Robinson mirifice delectatus est cane villoso, quem, velut popularem Europaeum, magnopere amabat. Quin canis ipse laetari illo videbatur, variisque praestigiis eum sponte delectavit. Robinson etiam Mercuriali reverso de cibis apportatis primitias cani dedit, quanquam ipse nihil ciborum isto die sumserat. Cum vero opportune noctem istam luna collustraret, ambo usque ad mediam noctem operati sunt. Tum autem adeo fessos se sentiunt, ut somno diutius carere non possent.

Nicol. Neque hoc injuria; totam enim noctem priorem vigilaverant.

DIET. Hodie autem multum cucurrerat Mercurialis praesertim!

PAT. In gramine igitur recumbunt, canique se custodiendos committunt. Hic ad pedes eorum se projecit, illi autem dulci somno recreati sunt, donec aurora novum diem nunciaret!

VESPERA VIGESIMA TERTIA

Aurora vix coeli oram radiis rubentibus ab oriente tinxerat, cum Robinson alacer socium expergefecit, ut cum eo opus heri inchoatum perficeret. Diem quoque integrum tanta cum sedulitate ei impenderunt, ut vel illo vespere ratem confecerint. Duplicem trabium seriem, partim funibus, partim lentis salicum Indicarum viminibus, tam arcte colligaverant, ut illae tutissimae ratis vicem praestarent, longitudine viginti circiter pedum, latitudine fere eadem. Prudenter illam quoque prope littus atque cylindris impositam construxerant, ut sine mora aut magno labore in mare detruderetur. Die proximo oborto maris recessus opportune accidit. Itaque sine mora ratem e littore detrudunt, ut ab aqua recedente, velut a fluvio, ad navem scopulis affixam deferatur. Jam proficiscuntur, vix autem hora dimidia elapsa ad locum optatum pervenerunt. —

Quam nunc Robinsonis cor exultavit, dum ille navis ingentis Europaeae aspectu gaudet! Parum abfuit, quin ejus latus oscularetur; tantopere illam vel praeterea amavit, quod e patria ipsius advenerat, quod ab Europaeis aedificata, ab Europaeis huc adducta

adducta fuerat! Europaei autem isti perorari, eheu! abrepti fato erant! Undis forte submersi fuerant! Quae quidem suspicio tristissima Robinsonis animum magnopere affixit; ille enim vel dimidia vitae futurae parte eos, qui nave vecti erant, ab interitu vindicasset, ut cum iis Europam reverteretur! Cujus quidem rei, cum spes nulla superesset, optimum factu putavit, ex oneribus navis istius sibi, quantum fieri posset, servare, ut iis vitam suam beatiorem redderet.

Theoph. Hem! de rebus alienis illinc aliquid auferre licuit?

Pat. Quid tibi de hac re videtur? Johannes! Putasne hoc Robinsoni licuisse?

Joh. Sane quidem illi licuit eas e navi petere, atque ad littus portare; simulac autem homines isti rediissent, illis eas reddi oportebat.

Pat. Recte judicas! Siquidem ille copias istas non e navi abstulisset, sensim a fluctibus consumtae fuissent. Itaque sine injuria ea, quibus ipsi maxime opus erat, sibi tribuere, possessoribus legitimis autem, si unquam reverterentur, hanc rationem reddere potuit, se opera sua atque labore in conservanda nave collocato illa meruisse. Quod autem omnino attinet ad naves, quae littoribus adhaeserint, in quibusdam regionibus humanitate excultis haec lex sancita est, ut copiae servatae in tres partes dividantur. Prima quidem pars prioribus possessoribus, siquidem vivant, aut eorum haeredibus, si mortui sint; secunda iis, qui illas servaverint; tertia supremo regionis ejus domino tribuitur.

Nicol. Ehem! cur vero dominus regionis partem quoque earum accipit?

Pat. Anceps sane quaestio, ad quam nondum satis luculenter vobis respondere possum. Nonnulla tamen, quae vos nunc etiam intelligetis, super ea vobis exponam. Reges scilicet, o mei, principes aut alii regionum domini, in littoribus ministros quosdam alere solent, quibus ea cura demandata est, ut nihil e navi ejusmodi in littore haerente auferatur, sed quaecunque inde servari potuerint, in locum tutum deportentur. Quod si illi non facerent, mercatores, quorum navium istarum vectae essent, pauca ex iis recuperaturi forent, quoniam merces istae aut corrumperentur, aut furto aufferrentur. In eo autem regionum dominis expensae faciendae sunt, ut custodes illi alantur. Igitur aequum est, ut istae ab iis reddantur, ad quos ejus instituti utilitas redundat. Propterea lege sancitum est, ut tertia pars copiarum servatarum littoris domino tribuatur; quod *jus littorale* appellari solet.

Ex hoc instituto Robinson jure meritoque bis tertiam partem omnium eorum, quae e navi servari potuissent, sibi vindicare, atque in proprium usum adhibere poterat.

Joh. Bis tertiam partem?

Pat. Sane quidem, alteram scilicet pro studio atque labore adhibito, alteram, quia unicus legitimusque dominus ejus insulae erat, cujus in littore navis illa haesit.

Dieter. Quis autem eum insulae dominum creaverat?

Pat. Lex naturae; nam secundum eam quaelibet regio, quae antea domino caruerat, ejus est, qui illam primus occupavit. Quae quidem istius insulae conditio fuit.

Post-

Postquam Robinson e laetitia ex aspectu navis Europaeae concepta satis se receperat, nihil magis optavit, quam ut illa integra, atque natando adhuc idonea esset. Hac spe quidem ille constituit, cum Mercuriali eam conscendere, atque in Europam ipsam; aut certe in coloniam quandam Europaeorum ad continentem Americae vela facere; quamvis periculosum esset, cum nave magna remigibus destituta, atque sine idonea artis nauticae peritia, mari aperto se committere. Itaque rati navem circumvectus est, ad maris fundum tentandum; quo facto mox non sine magna tristitia intellexit, fieri non posse, ut illa undis denuo committeretur. Tempestas enim navem inter duos scopulos conjecerat, a quibus haec adeo compressa erat, ut plane commoveri non posset. Hoc statu igitur eam immotam relinqui necesse erat, donec fluctibus allisis sensim disrumperetur. Qua spe frustratus, Robinson navem conscendere properat, copias, quibus illa onerata erat, exploraturus, an istae incolumes essent. Boni autem Mercurialis animum terroris hesterni imago tam vivida subiit, ut dominum ad stegam comitari vix auderet. Veruntamen eum, quanquam trepidans, secutus est, praesertim monstro illo cornuto statim oculis ipsius oblato. Quod tamen nunc longe minorem audaciam prae se tulit; debilitatum nunc potius in terra jacuit, ut vix surgere posse videretur, quoniam per biduum pabulo consueto caruerat. Robinson intelligens quippe ejus rei causam, ante omnia curavit, ut bestiam fame consumtam pabulo idoneo recrearet. Cum vero navis interiorem constructionem ille satis perspectam haberet, mox invenit, quod quaerebatur, laetusque vidit, quam cupide capra ista famem improbam pabulo projecto sedaret. Interim Mercurialis formam bestiae ignotam satis mirari non potuit.

Jam accurate omnia inquirere Robinſon coepit. Singulis ſcilicet cubiculis nauticis, atque carinis perluſtratis, multa paſſim conſpexit, quae apud Europaeos neglecta, ipſi nunc immenſi pretii erant. Cados nimirum integros invenit repletos pane nautico, oryza, farina, frumento, vino, pulvere nitrato, globulis plumbeis majoribus et minoribus; tormenta quoque bellica, ſclopeta majora, et minora, gladios bellicos, ac venaticos; ſecures etiam, ſerras, caela, terebras, radulas, runcinas, malleos, maſſas ferri, clavos, cultros, forſices, acus; ollas praeterea, patinas, orbes, cochlearia, forcipes, folles, catinos, variamque ſupellectilem culinariam ligneam, ferream, ſtanneam, et cupream; plenas tandem ciſtas veſtimentorum, linteorum, tibialium, calceorum, ocrearum infinitaque alia, quae ſingula Robinſon laetabundus lubentiſſime maſſa iſta auri jam diu neglecta comparaturus fuiſſet, ſiquidem eorum emendorum copiam unquam inveniſſet.

Quae quidem cuncta Mercurialis obſtupeſcens aſpexit, quippe qui talia nunquam vidiſſet, neque vero etiam plurimorum uſum intelligeret. Robinſon contra incredibili voluptate beatus eſt. Quin etiam lacrymatur prae gaudio, infantis inſtar ſingula contrectat et ſubito abjicit, quicquid arripuerat, alia re jucundiori oblata. Denique in carinam inferiorem deſcendere conatur; quam vero aqua repletam invenit, quoniam in ea navis magnopere dehiſcebat. Jam igitur diu deliberanti quidnam nunc primum ſecum aufferret nunc haec, nunc illa magis neceſſaria videntur; itaque ſaepe rejicit, quae modo elegerat, aliaque aufferre geſtit.

Tan-

Tandem haec, quae omnium praestantissima ipsi videbantur, nunc secum avehenda elegit: 1) Cadum pulveris nitrati cum arcula globulorum plumbeorum; 2) Duo scloperta, duo paria sclopetorum manuariorum, duos gladios bellicos, duos venaticos; 3) Vestimenta duplicia a capite usque ad calces sibi et Mercuriali. 4) Viginti quatuor indusia. 5) Duas secures, duas serras, duas runcinas, aliquot ferri massas, malleum, nonnullaque alia instrumenta. 6) Quosdam libros, chartae scriptoriae idoneam copiam, cum atramento et calamis. 7) Pyrothecam cum fomite et silicibus. 8) Cadum pane nautico repletum. 9) Carbasi mediocrem copiam, et 10) Capram.

Frid. Ehem! Capra illi quidem opus non erat!

Pat. Recte judicas, Friderice; caprae autem illo opus erat. Robinson vero magna, uti scitis, misericordia in omnia animantia fuit. Itaque a se impetrare non potuit, ut miseram istam bestiam relinqueret. Fieri enim poterat, ut ante ipsius reditum navis tempestate disrumperetur. Praeterea quoque in rati spatium rebus necessariis idoneum supererat. Igitur eam secum abduxit. Contra autem aliquid neglexit, quod populares nostri Europaei ante omnia amplexuri fuissent, — arculam nempe granulis aureis repletam, cistulam quoque adamantibus pretiosis in cubiculo praefecti repertis. Quae quidem secum aufferre ille plane non concupivit; nullum enim usum ipsi praestitissent.

In perquirendis, aperiendis, exponendis, eligendis atque imponendis cunctis tantum temporis spatium laetantibus elapsum erat, ut proximum accedentis maris tempus una tantum hora abesset. Quod illos expectare oportuit; alioquin enim ratem vix promovere poterant. Istam horam Robinson epulis

Europaeorum more tandem aliquando agendis impendit. Itaque carnem bubulam fumo conditam, duos haleces, panis nautici frustum, butyrum, caseum, vinique lagenam depromit, cunctisque mensae in cubiculo praefecti collocatae impositis, cum Mercuriali in sellis appositis consedit. Incredibilem tum ille vel ex eo voluptatem cepit, quod tandem aliquando e mensa idonea, in sella idonea, de orbe idoneo, cultro et furca instructus cibos sumturus erat. Ad quod accedebat ciborum ipsorum praestantia, panis praesertim, quem ille tam diu frustra desideraverat! Sane vos animo concipere ejus laetitiae magnitudinem non poteritis! Qui enim istam cognitione penitus complecti velit, eum Robinsonis instar per novem annos continuos omnibus istis copiis vitaeque praesidiis caruisse oportet!

Mercurialis Europaeorum rationem ciborum sumendorum adeo ignorabat, ut cultri fuscinaeque usum plane nesciret. Robinson igitur eum illis recte uti docuit; dum autem Mercurialis illum imitari atque offam furca adhibita ori admovere conatur, ad aurem illam protendit, ac quemadmodum hucusque consueverat, manum cum ansa fuscinae ori admovet. De vino autem a Robinsone ipsi porrecto nihil plane gustare voluit, quoniam palatum ejus, quod hucusque aquae tantum assueverat, potus fortioris impatiens erat. Pane vero bis cocto magnopere delectatus est.

Jam maris accedentis hora advenerat; uterque igitur ad ratem descendunt, atque eam in mare protrudunt, ut cum aqua accedente ad litus ferantur. Brevi eo pervenerunt, et copias servatas in terram deportare properarunt. Tum Mercurialis magnopere concupivit audire rationem atque

usum omnium rerum istarum. Robinson primum ejus curiositatem eo sedavit, ut post arbustum collocatus indusium vestemque praefecti militum, cum calceis, ac tibialibus indueret; tum gladio cinctus pileoque ornatus subito, velut transformatus, progreditur, atque ante oculos Mercurialis stupefacti sistit. Ille attonitus aliquantulum recessit, quia primo certe aspectu dubitabat, dominumne an alium quemdam supra humanitatem elatum conspiceret? Robinson subridens attonito manum blande porrigens, asseverat, se verum Robinsonem amicumque ejus adhuc esse, etsi vestibus conditioneque mutatis. Tum vestibus remigis quaesitis, illum singulas rite induere docet atque post arbusta se conferre jubet, ut etiam vestiatur. Mercurialis ei obedivit; attamen multum temporis in se vestiendo consumsit; varios enim errores in eo commisit. Indusium, ut hoc utar, ita induit, ut pedes manicis immitteret, velut braccas induturus. Eodem modo braccis usus est, pedes nimirum in partes inferiores immittere conatur; tunicaque, quam in dorso connectere tentavit. Sensim errorem intellectum emendavit, donec tandem, saepius frustra conatus, omnia ista vestimenta rite induere didicit. Tum infantum more laetabundus exultat, cum se ita transformatum conspexisset, atque intellexisset, quam commodae istae vestes essent, quamque egregie illis contra musquitonum morsus defenderetur. Calceos solos vituperavit, quoniam superflui atque incommodi ipsi videbantur. Itaque eorum exuendorum veniam rogavit, quod quidem Robinson ei liberum reliquit. Jam illi securium ceterorumque instrumentorum usum demonstrat, ex quo Mercurialis incredibilem voluptatem cepit. Confestim eorum experimentum fecerunt in coaptando malo rati idoneo, ut nimirum velo in posterum uterentur, neque maris recedentis tempus expe-

expectare cogerentur. Quod quidem opus Robinson solus perfecturum spondet, Mercurialemque ad lamas mulgendas mittit, quod per biduum facere intermiserant.

Mercuriali absente Robinson sclopetorum alterum complet, mirabilibus pulveris nitrati effectibus amici admirationem excitaturus. Quo reverso, atque Robinsonis in opere perficiendo celeritatem admirante, hic falconem marinum conspicit cum pisce rapto avolantem. Subito arrepto sclopeto exclamat; *Attende, Mercurialis, istum dejiciam!* Quibus vix dictis explosionem fecit, ita ut falco ex aere in terram decideret. Cogitate, quaeso, boni Mercurialis stuporem atque terrorem! In terram nempe, velut ipse vulneratus procidit; repente enim vetus superstitio de Toupane seu tonatore ejus animum subiit, dominumque primo terroris impetu compulsus illum esse putavit. In terram igitur procidit; tum in genua revolutus manus trepidantes ad Robinsonem supplicis instar protendit. Loqui autem plane non potuit. —

Robinson a se impetrare nunquam poterat, ut, quaecunque ad cultum divinum spectarent, ludibrio haberet. Itaque statim eum poenituit, vixdum errore intellecto, quod istum non antea docuerit, quidnam facere conaretur; propterea quoque hanc imprudentiam corrigere properavit. Mercurialem scilicet trepidantem e solo amice sustulit, eumque amplexus rogavit, ne timeret, dicens: Se statim ipsum docere velle, quo modo fulgur tonitruque ejusmodi ab illo ipso effici posset; secundum enim naturae leges ita fieri. Tum sclopeti constructionem ei demonstrat, pulveris nitrati rationem effectumque exponit, sclopetumque ante ejus oculos repletum porrigit, ut illud explodat. Mercurialis vero, nimio etiam timore perturbatus,

batus, eum rogavit, ut ipse hoc faceret. Tum Robinson scopum centum passus distantem statuit, Mercurialique juxta se collocato sclopetum explodit. Parum abfuit, quin Mercurialis iterum in terram procideret; adeo, quae viderat, atque audiuerat, naturae vires exeedere illi visa sunt. Scopus multis granulis plumbeis tactus erat, quae in lignum ipsum alte penetraverant. Robinson Mercurialem hoc animadvertere, atque ex eo intelligere jussit, quam tuti imposterum ab hostibus ipsi forent, fulgure hoc atque tonitru artificioso accepto. Quae quidem cuncta Mercurialis animum tanta erga Europaeos, dominum imprimis, reverentia imbuerunt, ut per multos dies familiariter erga illum se gerere non auderet.

Nox interim appropinquans diei hujus laetissimi negotiis finem imposuit!

VESPERA VIGESIMA QUARTA.

Postero die pater nihil praefatus, quo parvuli magnopere laetati sunt, ita perrexit:

Dulciorem Robinson noster somnum nunquam ceperat, quam hac nocte; nunquam enim, ex quo in hac insula vitam solitariam egerat, ea felicitate se frui meminit, qua nunc se beatum sentiebat. At vero etiam nemo mortalium unquam animum pietate atque amore erga coelestem felicitatis humanae auctorem adeo perfundi senserit! Quoties ille solus in genua prostratus benignissimo omnium bonorum datori gratias egit pro beneficiis sibi collatis!

latis! Mercurialis quoque animum hac pietate imbuere studuit. Antequam enim cubitum irent, illum docuit hymnum hunc: *Agamus universi deo gratias!* Tum ambo magna cum animi commotione coelestis patris gloriam illo celebraverunt.

Sequenti die mane surgunt, copiasque arbustis conditas multis ramis tegunt, ne forte pluvia corrumpantur. Tum maris recessu incipiente ratem mari committunt, ad navem fractam denuo accessuri. Cum heri, quod commemorare oblitus eram, remis duobus idoneis instructi fuissent, cursus eorum nunc velocior fuit. Iterum feliciter eo pervenerunt; ante omnia vero omnes tabulas, quotcunque in navi reperiri potuerunt, in ratem ad conficienda tabulata demittunt, ut copiis deportandis hesterno siccius receptaculum parent. Jam Robinson omnia sedulo perscrutatus est, ut in eligendis iis rebus, quas secum aveheret, prudenti consilio uteretur. Hac vice multo minus negotii in iis eligendis habuit, quoniam ea, quae maxime necessaria essent, jam in locum tutum deportaverat. Attamen nihilo magis cautus fuit. Inter alia hac quidem vice unum e tormentis sex minoribus bellicis in nave deprehensis secum deportare constituit.

Joh. Tormentum bellicum? Nonne utiliora eligere potuit?

Pat. Ita nobis quidem videtur rem e longinquo dijudicantibus! Robinson autem, conditionis suae rationem propius, et accuratius perspiciens, tormento isto bellico sibi ad animum certe confirmandum opus esse intellexit. — *Joh.* Cur vero?

Pat. Locus nimirum, in quo pro tempore copias servatas collocare illum oportuit, ea in regione littoris situs erat, ubi barbari appellere solebant.

lebant. Etsi autem sclopetis majoribus, et minoribus se satis defensum credere poterat, si forte barbari ipsum adorturi essent; horrore tamen perculsus est, quoties cogitavit, fieri denuo posse, ut unum alterumque eorum a se interfici oporteret. Itaque putavit, fore, ut tormenti in littore constituti globo supra eorum capita, cum quidem ad insulam pervenire conarentur, conjecto satis deterrerentur, quin propius accederent. Ex eo intelliges, o bone, quam lubricum sit aliorum rationem dijudicandam sibi arrogare! Raro enim aliorum consilia perspicimus; quomodo igitur eorum arbitrium nobis arrogabimus? Vir sapiens itaque in judicandis aliis lentus esse, neque temere hoc sibi arrogare solet, quoniam satis largam cogitandi, atque judicandi materiam in se ipso deprehendit. In quo nos quidem, o mei, in posterum eum imitabimur!

Hac quidem vice Robinson et Mercurialis praeter tormentum bellicum haec quoque rati imposuerunt. 1) Sacculum frumento, item alium hordeo, alium pisis. 2) Cistam clavis, trochleisque ferreis repletam. 3) Duodecim secures. 4) Arculam pulveris nitrati cum glandibus majoribus, et minoribus plumbeis. 5) Velum, atque 6) Cotem.

Theoph. Cui tandem usui hancce elegit?

Pat. Ad acuendas secures, cultros, aliaque instrumenta obtusa.

Theoph. Nonne vero in insula lapides invenerat?

Pat. Lapidum abunde ibi erat; nullae autem cotes! Nonne animadvertisti hoc in iis requiri, ut molliores ceteris lapidibus sint.

Theoph. Animadverti equidem!

Pat. Ejusmodi lapides molliores arenosos in insula non deprehenderat; nihil autem iis, qui instrumenta acuta tractant, utilius est cote. Itaque

sine

sine dubitatione illam granulis aureis, atque adamantibus praetulit, quos iterum reliquit. Antequam vero proficiscerentur, Robinson navem, qualis nunc esset, investigaturus, invenit, aquam magis in eam penetrasse, undis autem, saxorumque frictione plures laterum asseres abruptos esse. Praevidit itaque fore, ut prima quaque tempestate illa penitus disrumperetur. Quod eum multo magis impulit, ut, quantum fieri posset, de copiis servatis ex ea abducere properaret. Vento nunc ad continentem spirante veli remotumque auxilio proficisci poterant, etsi temporis, intra quod mare recedere solet, dimidia parte vix elapsa. Inter proficiscendum Robinson se ipse ita vituperavit, ut ejus probitatem inde elucere putem.

Dieter. Quam ob rem?

Pat. Propterea, quod aurum, adamantesque non secum abstulisset.

Dieter. Quem vero in usum ista adhibiturus erat?

Pat. In nullum ipsius quidem; sic autem putavit: fieri potest, ut dominus navis superfit, hucque redeat exploraturus, an forte aliquid conservari ex ista possit. Quod si vero tempestas subito exorta navem ante disrumpat, quam tu denuo ad eam reversus sis, aurum vero, gemmaeque istae tunc demergantur, quomodo tu apud possessorem, apud deum, apud tuam ipsius conscientiam hoc excusaturus sis, quod nihil nisi ejusmodi res servaveris, quae tibi utiles fuerint, nihil autem earum rerum, quas recipere domini plurimum interesse debet, a quibus ipsius multorumque aliorum fortuna pendere potest? Ehem! Robinson! sic ille se arguit, manuque indignabundus frontem percutit,

quum

quantum tibi deest, ad eam animi honestatem, qua esse deberes! — Vix etiam expectare potuit, dum ratem appellerent, atque cum ea denuo reverterentur. Pantopere ejus animus perturbatus fuit propter officium neglectum, quod sanctum recte putabat.

Tandem advenerunt; cum vero in eo essent, ut ratem appellerent, ancipiti in periculo constituti sunt de copiis, ne universae mari demergerentur. Durante enim adhuc maris recessu littus tam vadosum erat, ut prora ratis subito in arenam procurreret, eamque ob causam multo magis erigeretur, quam puppis, quae adhuc undis ferebatur. Robinson tamen et Mercurialis, qui opportune in puppi consistunt, vecturam delabentem retinere etiam valuerunt, ne aquis obrueretur.

Postquam omnia satis firmata erant, aquam paludosam et vadosam ad genua usque madentes transire, copiarum ad littus transportandarum causa, coacti sunt. Quod tanta celeritate atque cautione adhibita fecerunt, ut nihil earum periret, atque ipsis ante proximum maris accessum proficisci liceret. Simulac Robinson denuo ad navem quassatam pervenerat, nihil ei antiquius fuit, nisi ut arculam illam granulis aureis, cistulamque adamantibus repletam ad ratem transferret. Quo facto magna cura animum suum levari sensit; nunc quoque humanitatis hoc officio praestito sui ipsius curam denuo suscipere fas sibi putavit. Hac vice duos pavones quoque, in navem nescio quo consilio, receptos, magnam copiam vestimentorum, linteorum, instrumentorum, variam supellectilem, lampadem quoque, chartam omnem, cui aliquid inscriptum invenisset, in cubiculo praefecti repertam secum abstulit. Interim maris aquae recedere

coeperunt; illi igitur statim profecti sunt, neque vento undisque propulsi littus brevi attigerunt.

Reliquum diei spatium Robinson ei negotio impendit, quod illi nunc maxime necessarium videbatur. Non enim sine magno timore cogitavit, fieri posse, ut pluvia vehemens oborta pretiosissimum ipsius thesaurum, pulverem nitratum, corrumperet. Ad quod periculum depellendum, illico e magna carbaso, quam in navem apportaverat, tentorium copiis suis a pluvia defendendis idoneum conficere statuit. Forficibus, acubus, filisque nunc etiam instructus, celeriter in hoc labore progressus est; Mercurialis quoque brevi iis ita uti didicit, ut dominum adjuvare in opere faciendo posset. Qui quidem acuum forficumque inventionem satis admirari non potuit, saepius ingenue professus, se, popularesque suos miseros esse homunciones, si quis eos cum Europaeis tot artium peritis conferre vellet.

Ante vesperam hoc labore absoluto, Robinsoni stupendos tormenti bellici effectus Mercuriali monstrare libuit. Globo scilicet immisso ita illud collocavit, ut globus aquae superficiem stringeret, Mercurialis autem eo distinctius cerneret, quam longe ille projiceretur. Tum illud explodit; quamquam vero Mercurialis sclopetorum duorum superiorum explosione ad hanc rem spectandam, et audiendam praeparatus erat, tantopere tamen fragore tormenti bellici vehementiori illo perterrefactus est, ut omnibus membris trepidaret. Scilicet globus in maris superficie prosiliit, atque immenso spatio confecto oculis se subduxit. Tum Mercurialis asseverat, non nisi una ejusmodi tormenti explosione opus esse, ad omnes et singulos popularium suorum fugandos; etiamsi multa millia eorum accessissent,

qui

quoniam sonitru istius auctorem Toupanem arbitraturi essent.

Tenebris obortis Robinson lampadem accendit scripta e nave advecta perlustraturus; speravit enim fore, ut inde cognosceret, cujus navis illa esset, quemque in locum illa tetendisset? Invenit autem, non sine magna tristitia scripta ista, libros item omnes, quos apportaverat, lingua sibi ignota scriptos esse. Quantopere nunc, etsi nimis sero, illum poenituit negligentiae suae, quae eum impediverat puerum, quo minus majorem diligentiam linguis addiscendis navaret.

Attamen duplici argumento in iis deprehenso usus est ad cursum navis, ejusque rationem intelligendam. In aliis epistolas duas invenit Barbadum directas, insulam Americae, in qua frequens mancipiorum mercatura exerceri solet.

Frid. Mancipiorum mercatura?

Pat. Dicam tibi, quaenam illa sit. In Africa — tenesne etiam ejus situm?

Frid. Satis illum teneo; versus pontem viridem, pascuaque anserum! Pergas quaeso! —

Pat. In Africa scilicet, Aethiopum patria, maxima pars hominum bestiis similes sunt. Duces, aut reges eorum, humanitate parum illos superantes, eos velut bestias tractare solent. Cum igitur Europaei eo perveniunt, greges magni hominum ejusmodi nigrorum iis venumdantur, velut boves in nundinis nostris. Multi patres ipsi liberos producunt parvi illos vendituri; Europaei autem magnam eorum copiam quotannis emunt, atque in Americam transportant, ubi labores durissimos exantlare, miserrimaque conditione uti coguntur. Mancipiorum istorum miseria tanta plerumque esse solet, ut mortem vitae praeferendam censeant.

Theoph. Nefas autem equidem puto cum hominibus sic agere!

Pat. Sane quidem hoc nefas est; spem quoque gratam fovere possumus, mangonium istud detestabile sensim penitus abrogatum iri.

Porro rationes scriptas Robinson invenit, e quibus tantum non intellexit, centum mancipia in nave fuisse ad Barbadum transportanda. Quae quidem cuncta Mercuriali exponere, atque describere studuit, his additis: fieri potuisse, ut miseri isti tempestate illa in libertatem vindicati sint; ut scapharum auxilio servati insulam aliquam attigerint, in qua a tyrannorum crudeli imperio liberati vitam satis felicem atque quietam suo more degant! — Quod quidem Mercuriali probari visum est. — Age igitur, o bone, Robinson magno cum animi ardore addit, nunc etiam quaestionem nuper a te prolatam repetere audebis?

Mercur. Quamnam tandem?

Robins. Quam scilicet utilitatem tempestas illa, quae nobis lintrem abripuit, praestitisse videatur? — Mercurialis erubuit, oculosque demisit — O! Mercurialis! sic Robinson tum magno cum pietatis ardore exclamavit, agnosce numen omnipotens, atque sapientissimum, quod omnia ita effecit! Ecce! quantis copiis redditis tempestas illa paucorum abreptorum damnum nobis compensaverit? En aspice omnia ista vitae bene beateque vivendae praesidia — iisne frueremur, nisi tempestas illa oborta fuisset? Triste quidem istud felicitatis genus est, quod e calamitatibus aliorum oritur; quodsi autem vel maxima pars eorum, qui in nave fracta fuerunt, nunc feliciorem vitam agerent, quam antea? Neque vero dissimile hoc est! Quid tibi nunc videtur de providentia divina mundum gubernante?

„Incre-

„Incredibilem sapientiam, atque benignitatem ejus esse; me autem stultum fuisse, Mercurialis respondet. Tum manibus conjunctis ad coelum suspexit, a Deo peccati ignorantia commissi veniam petiturus.

Robinson scripta perlustrata non minori cum cura asservavit, quam aurum, et gemmas. Eorum enim ope sperabat, fore, ut, si unquam in Europam reversus esset, verum copiarum servatarum possessorem resciscerct. Sex dies continuos, ac bis terve quotidie, ad navem fractam proficisci illi pergunt, ac quaecunque moveri poterant, ad littus transportant. Permultae res, quas nos flocci pendimus, qui earum inopiam nunquam sensimus, ab illis permagni aestimatae, atque propterea ablatae sunt. Magna pars vecturae dentibus elephantorum constabat; istos neglexerunt, quoniam nullam inde utilitatem se capturos putabant. Eodem modo nonnullas fabarum Arabicarum arculas Robinson sprevit, quia cupediis superfluis atque noxiis denuo assuescere plane noluit. Quam maximam contra tabularum copiam e nave dissolutam auferre studebant; illos enim majoris utilitatis, igitur quoque majoris pretii, putabant. Quin tormenta bellica quinque reliqua in littus transferunt, omniaque ferramenta, quae inveniri, aut a nave dissolvi poterant.

Postquam decies octies hoc iter sic confecerant, ut cum copiis suis incolumes appellerent, in nave fracta occupati tempestatem oboriri animadvertunt. Igitur ratem onerare quam maxime properant, atque ea cum spe proficiscuntur, se ante tempestatis vehementiam littus assecuturos. Frustra autem; antequam enim dimidiam viae partem confecissent, tempestas tam saeva, tonitrubus, fulminibus, pluviaque furentibus, coorta est, ut undae ratem superarent, copiasque in ea positas submergerent.

ipsi aliquamdiu eam tam firmiter amplectuntur, ut fluctibus spumantibus non abriperentur, etsi illi tantae altitudine subinde capita eorum superarent. Tandem ratis imbecilla fluctuum furori diutius resistere nequit. Vincula trabium dissolvuntur, ratis tota destruitur.

Carol. Eheu! miser Robinson!

Omn. Tace! Tace!

Pat. Mercurialis quidem natando vitam servare conatur, Robinson vero trabem amplectitur, quae eum nunc profundo mergitur, nunc sublimis fertur. Saepius ille sub undis versatur, quam supra aquam, attonitus plane atque sensu oculorum aurium que orbatus. Jam vires animusque eum deficiunt. Alta denique voce exclamat, tum fluctu ingenti a trabe avulsus, atque submersus est. Fidus tamen Mercurialis domini latus plane non reliquerat, etsi ipse multo celerius salutem suam recuperare potuisset illo neglecto. Cum igitur dominum ante oculos suos submergi videt, confestim se in aquam demittit, illum manu sinistra arripit, dextra se ipsum elevare nititur. Jam omni vi connisus brevi cum domino mortuo littus assequitur.

Omn. (perterriti) Heu! heu! mortuone?

Pat. Ita eum appello, quoniam ne minima quidem vitae scintilla in eo inesse videbatur. — Mercurialis dominum exanimatum in terram penitus transportat, desperabundus se super eum projiciens, illum alta voce vocat, eum commovet, corpus totum fricat, deciesque labiis os mortui premit, spiritum ei redditurus. Tandem incredibili cum laetitia vitae redeuntis signa quaedam in eo animadvertit; igitur eum reficere pergit, Robinson sui conscius esse denuo incipit.

Ubinam ego sum? voce leni atque trepida interrogat, oculos simul aperiens. In amplexu meo, carissime domine, Mercurialis respondet, lacrymarum copiam effundens. — Tum non sine magna animi commotione vidisses Robinsonem servatori suo gratias agentem, hunc autem mirabiliter de vita domini recuperata gestientem.

Neque, o mei liberi, quo hujus diei narrationem finiamus, praeclarius quidquam invenio. Itaque hodie satis sit!

VESPERA VIGESIMA QUINTA.

Variis nunc quoque negotiis pater impeditus est, quominus narrando pergeret. Interim liberorum numerus sex advenis novis auctus est. Nomina eorum sunt, Matthias, Ferdinandus, Conradus, Johannes, Christianus, et Carolus. Tum inter priscos mirifice certatum est, quisnam prior novis amicis ea narraturus esset, quae de Robinsone jam audiverat. Alius tum alia de eo profert; alius alia omisisse arguitur, atque a tertio quodam interrumpitur, ad narrationem supplendam. Cunctis igitur conclamantibus tanta loquentium confusio orta est, ut nemo se ipse intelligeret. Quo tandem pater narrationem iterum ordiri, atque eousque continuare est coactus, ubi postremum substiterat. Tum omnium cum plausu ita pergit:

Agite, o mei, Robinson noster denuo refectus est. Somno quippe sub tentorio idoneis in lectis capto adeo recreatus est, ut die oborto viribus pri-

 stinis

ftinis recuperatis ftatim fe erigere, ac deo pro confervata vita fanitateque reftituta agere valeret. Tempeftas per totam noctem furere non defierat. Itaque magna cum curiofitate, timida tamen, diei lucem expectavit, ut videret navis fractae conditionem. Jam fol oritur, ille vero non fine magno moerore vidit, navem penitus evanuiffe! Tabulas quippe, trabesque fingulae, ad littus delatae, teftabantur, illam a tempeftate penitus diffolutam effe. Nunc eum bene habuit, fibi confcium effe, quod nihil intentatum reliquerit, quo de copiis in nave repertis, quantum ejus fieri poffet, fervaretur. Felicem quoque eum merito praedicabimus, qui in cunctis rebus ea fapientia ufus fit, ut in qualibet fortuna eodem jure, ac nunc Robinfon fe confirmare poffit, dicens: *hoc mea culpa non accidit!* O! quantopere ifta cogitatio vel acerbiffimas calamitates tolerabiles nobis reddere poteft!

Nunc Robinfon, et Mercurialis omnes navis reliquias in littore deprehenfas curiofi colligunt, praevidentes quippe, unumquamque tabulam aut quodvis tigillum magno ipfis ufui fore. Quo facto negotiorum proximorum rationem ordinant. Copiae fervatae nimirum in arcem transportandae erant; periculofum tamen videbatur, nimis longe ab iis interim recedere. Robinfon igitur ftatuit, ut alterni vecturam, et cuftodiam agerent, alter ante, alter poft meridiem. Tormenta bellica complevit, atque in littore collocavit, orificiis verfus mare directis. Tum ignis accenditur, qui a cuftodiente nutriretur, apud tormentum malleolus in promptu erat, quo illud neceffitate urgente fine mora exploderetur. Robinfon ipfe copiarum transvehendarum initium fecit. Remigis veftibus ille quoque indutus, ne lautiora veftimenta laedantur, pro armis prioribus, nunc gladio venatico, duobusque

fclo-

Sclopetis manualibus, repletis iis, ejicitur. Primum aliquot vasculis pulveris nitrati, cum aliis rebus, quae humiditatis impatientiores essent, vehiculo impositis profectus est. Canis villosus, qui nunquam ab ejus latere recedebat, eum comitatur, nec inutiliter. Scilicet Robinson laqueo canem ita in pabone alligavit, ut ipsum trahendo adjuvaret. Quoniam vero istud canum genus quam maxime docile est, hic quoque brevi tam scite novo munere fungi didicit, ut jam diu in illo administrando se exercuisse videretur. Dentibus insuper fasciculum portavit, quod jam antea edoctus fuerat. Robinson revertens cunctas lamas, mansuetas eas atque oneribus portandis jam assuefactas, secum adduxit, ut iis quoque ad copias transportandas uteretur. Quae cum septem numero, singulae autem centum et quinquaginta libris portandis pares essent, facile intelligere potestis, quantum onus universae conjunctim auferre valuerint. Tantas vero copias Robinsonis spelunca et cella capere neutiquam potuit. Igitur alterum tentorium amplum in vestibulo arcis exstruere properant, quo ad illas pro tempore condendas uterentur. Octo dierum spatio elapso omnia deducta sunt, praeter tabulas nonnullas, qui densis arbustis hucusque tecti fuerant.

Carol. De capra vero, pater, nihil amplius nobis narrasti?

Pat. Ehem! Parum abfuit, quin ejus oblivisceret! Capram scilicet isti sane secum abduxerunt, eamque lamis mansuetis junxerunt, cum quibus illa satis amice vixit. —

Jam Robinson et Mercurialis operibus jucundis quam maxime abundaverunt. Ille tamen, qui in re-

rebus agendis nunc rectam distributionem ordinemque earum magnopere amabat, mox labores necessarios ab iis, qui minus necessarii essent, sejunxit; illisque priorem operam impendit. Nullo autem nunc magis indigebant, quam horreo construendo, quo copiae eae, quas spelunca capere non posset, commodius atque tutius conderentur, quam tentorio. In quo quidem fabrorum lignariorum ars illis exercenda fuit, quam neuter didicerat.

Nunc autem nullum opus Robinsonis cunctis instrumentis necessariis instructi industriam atque solertiam difficultate porro superare videbatur. Qui labores molestissimi atque quam maxime insoliti ludus ei fuerunt, multis aliis sine instrumentis et socio feliciter perfectis. Itaque nunc facili negotio arbores detruncatae, atque exasciatae, trabes conjunctae atque erectae, parietes e lateribus confecti, tecta duo, alterum e tabulis, alterum e foliis cocossae constructa fuit. Quo facto horreolum absolutum est tuguriis agricolarum nostratium non dissimile. Robinson insuper fenestras e praefecti navis cubiculo prudenter abstulerat, quae quidem nunc egregium usum ei ad illustrandas interiores tugurii partes, ita ut nusquam foramina aperta relinquerentur, praebuere. Vitrum imprimis Mercurialem in admirationem rapuit; nunquam enim ejusmodi viderat, nunc vero animadvertit, quantam illud praestaret utilitatem.

Sic omnibus rite conditis Robinson commodum aditum ad arcem parare constituit, ut illam non minus munitam haberet. Cui consilio nihil magis idoneum putavit porta cum ponte versatili conficienda. Cum omnibus rebus huic negotio necessariis abundaret, clavis nimirum, catenis, cardinibus, claustris etc. statim ad illud perficiendum se

accin-

accinxit. Cunctis autem rite constructis, in vallo atque etiam in pariete arboreo foramen valvis jam absolutis aptum conficitur, porta erigitur, pons versatilis ita adstruitur, ut sustractus portam claudat. Tum tormenta repleta in vallo collocantur, binis dextrum, binis sinistrum latus, binis faciem castelli tuentibus. Nunc quemlibet barbarorum impetum securi expectare illi poterant, idoneo atque commodo introitu insuper gaudentes.

Interim messis advenit. Robinson gladio vetere pro falce usus est ad zeam demetendam, ad effodiendos autem solanorum bulbos ligone, in copiis servatis invento.. Quae quidem negotia istorum instrumentorum auxilio mirifice illis successerunt. Non sine magna voluptate eos spectavisses, cum majori etiam te socium iis addidisses.

Joh. Equidem eos in labore adjuvisse magnopere cupio!

Dieter. Eam ob causam, ut in insulam desertam te conferas, non necesse est. Apud nos eadem cum voluptate opus facere poteris. Brevi experieris, quot negotia pater optimus nobis mandaturus sit, eum a laboribus consuetis vacaverimus. Nunc lignorum acervos cum eo struere, aut diffisa in culinam transvehere, nunc in horto terram fodere, nunc aquam ad irrigandas plantas apportare, aut lolia evellere solemus — nunquam operis faciendi materia nobis deest!

Pat. Cur vero ad ejusmodi negotia tractanda vos a me instituti putatis?

Joh. Hem! ut nunquam otiosi esse consuescamus, propterea quoque, quod illa nos sanos robustosque reddunt.

Chrisn. Num autem nos quoque laborum iſto-rum ſocii erimus, pater?

Pat. Sane quidem; neque vero enim ego vos minus diligam ceteris, vobisque etiam omnia illa facienda mandabo, in quibus utiliter vos oc-cupari putavero.

Carol. Egregia polliceris; Robinſonis indu-ſtriam imitabimur!

Pat. Euge! Robinſoni quidem multum illa profuit, uti intelleximus; ſic nos quoque indies magis uſu experiemur, quantas vita laborioſa prae-ſtet utilitates!

Jam meſſis finita eſt. Robinſon duo tribulis conficit atque Mercuriali eorum uſum edocto ambo zeam uno die extundunt. Duos ſaccos inde replent, ſex circiter modiorum menſura. Parte bis cocto ad aliquot menſes inſtructi erant. Quo conſumto Ro-binſon ipſe panem coquere conſtituit. Molam ma-nuariam e nave apportaverat. Nihil igitur ei defuit niſi cribrum denſum ad cribrandam farinam, fur-nosque ad coquendum panem. Cribri loco telae genus, ex urticis cannabinis confectum, adhibuit in copiis ſervatis repertum; furnum facili negotio exſtruendum putavit. Hunc quoque laborem ante tempus pluvium abſolvit. Tum duplici modo pa-nes coquere inſtituit, nonnullos e farina frumenti, nonnullos zeae. Illi autem longe meliorem his ſa-porem habuerunt; Robinſon ergo iſtos praeferre conſtituit. Maximam eo conſilio agrorum partem frumento conſevit, ne unquam eo ad panem co-quendum careret. Quod negotium ipſius Mercu-rialisque vires ſuperare non videbatur, quoniam bis quotannis in hac inſula ſementem facere, atque meſ-ſem colligere poterant. Defuerunt tamen illis, quae

in

in copiis nave advectis non repertae, quam maxime autem necessariae erant, spathae duae ferreae. Mercurialis quidem ejusmodi e ligno duro confecerat; ferreae autem istis longe praestantiores, et utiliores esse jure meritoque videbantur. Cum autem Robinson agriculturae, cum propter ejus utilitatem, tum jucunditatem, imprimis operam dare cuperet, officinam spathis, instrumentisque aliis ferreis conficiendis idoneam nunc etiam exstruere constituit. Quod ejus inceptum tam audax non fuit, quam illud vobis forte videtur; cunctis enim rebus ei perficiendo necessariis nunc satis instructus fuit, incude scilicet, folle idoneo, tantaque ferri copia, ut ad totam ejus vitam sufficere videretur. Itaque consilium illud statim perficere instituit.

Ampliori scilicet tecto superinstructa culina adeo amplificata est, ut officinae ferrariae usum vel tempore pluvio praestaret. Igitur ejus temporis partem ferramentis conficiendis impendunt, quod quidem post nonnullos conatus irritos praeclare illis successit. Spathis confectis Robinson vel aratri viribus ipsorum accommodati inventionem tentavit. Magnam quoque laetitiam ex eo invento cepit. Quod quidem aratris nostris multum dissimile fuit; unico quippe ramo curvo constabat, cujus in parte curva ad terram depressa vomer affixus erat, ansa insuper, cujus ope aratri moderator illud gubernare pro arbitrio poterat; in altera parte boves aut equi jungi poterant, siquidem eorum copiam habuissent. Nunc autem alterutri hoc munus suscipiendum fuit. Aratrum istud quam simillimum ejus fuit, quo veteres Graeci uti tum solebant, cum agrorum colendorum initium fecerunt. Nullis illud rotis instructum erat. Omnia quoque caeteri instrumenta initio eadem simplicitate fuisse videntur,

tur. Sensim homines, aptiorem eorum rationem invenientes, illa mutaverunt atque emendaverunt, ita ut earum rerum, quibus ad opera facienda indigebant, utilitas atque commoditas subinde augeretur.

Robinson tamen jure meritoque hoc invento laetari debebat, cum proprio marte, neque ejus delineatione antea visa, illud confecisset. Plura enim saecula transiisse videntur, antequam homines vel simplex istud aratri genus invenerint. Ejus quoque inventoribus posteri tantam tamque singularem tribuerunt sapientiam, ut divini illis honores constituerentur. An tu etiam recordaris, Johannes, ejus, quem Aegyptii aratri inventorem putaverant?

Joh. Satis recordor; *Osirim*, quem postea divinis etiam honoribus illi coluerunt.

Pat. Phoenices autem utilissimum hoc inventum *Dagoni* cuidam tribuerunt, eumque supra humanam naturam elatum crediderunt, coeli filium appellantes.

Nicol. Nonne vero Robinson lamis ad arandum uti potuit?

Pat. Initio ille quidem dubitavit, an huic negotio idoneae forent, quoniam ad bajulandum, quam ad trahendum, aptiores videbantur. Attamen neque hoc intentatum reliquit; en autem, res mirifice successit! Animalia scilicet ista sensim ei labori adeo assueverunt, ut Robinson et Mercurialis agricolae periti, lamae vero boves, et asinae esse viderentur. Uno tantum illi nunc caruerunt instrumento, eoque ad agriculturam rite faciendam maxime necessario, nec tamen in nave reperto.

Ferd. Quod equidem satis conjectura assequor!

Pat. Quodnam fuisse putas?

Ferd. *Occam.*

Pat.

Pat. Rem acu tetigisti! — Sine ista enim agri recte coli nequeunt, quia ejus ope glebae majores comminuuntur, ut semina terra satis molli condantur, atque tegantur. Itaque Robinson primum clavorum ferreorum idoneam copiam fabricavit. Tandem post nonnullos conatus irritos ligneum quoque receptaculum confecit, illis firmandis aptum. Tum idoneo foraminum numero perforato clavisque ferreis immissis, occa perfecta est.

Jam exacto tempore pluvio duos frumenti modios, unum hordei, dimidium pisorum seminavit; post duos autem menses duodecies istos non sine insigni voluptate recepit; viginti quatuor scilicet frumenti, duodecim hordei, sex pisorum modios, quibus copiis ipsi et Mercuriali in annum dimidium ne opus quidem erat. Patris vero familias providi more omnis generis copias in promtu habere constituit, quoniam fieri poterat, ut agrorum proventus aliquando minores essent, aut messis grandine aliisque calamitatibus periret. Itaque granarium idoneum condere statuit, quo semper victus utrique ad semestre sufficiens contineretur, si forte unquam messe privarentur. Hac mente coeli serenitate continuante horrei tectum diruunt, alteram etiam contignationem addituri, quae granarii usum praestaret. Quod quidem negotium majorem solertiam atque operam postulavit, illa, quam inferiori ejus parti exstruendae impenderant. Improbus tamen eorum labor atque assiduus omnes difficultates denuo superavit, opusque perfecit.

Interim capra duos ediderat pullos, ita ut hoc quoque animalium genus in insula propagaretur. Canis custodis munere fungitur; Polus, psittacus scilicet, sive in mensa, sive in opere faciendo confabulatione eos delectat. Lamae autem nunc form-

mam

mam utilitatem illis praestiterunt, quippe quae non solum lac, caseos, butyrumque praeberent, sed etiam in agris colendis utiliter eos adjuvarent. Jam igitur Robinsoni nihil defuit ad vitae felicitatem consummatam, nisi — quid tandem putatis?

Theoph. Nihil nisi, ut cum parentibus esset! —

Pat. Atque — quod duo tantum numero ipsi essent! Fieri enim poterat, ut alter brevi moriens alterum in solitudine misera ab omni hominum societate sejunctum relinqueret. Attamen Robinson nefas putavit malorum futurorum metu vitam acerbiorem reddere. Numen illud, sic ille se confirmat, quod hucusque rebus meis consuluit, in posterum quoque mihi opitulabitur! Sic perpetua tranquillitate omnes ac singulos dies nunc consumsit, externa non minus, quam interna quiete beatus. Quam quidem conditionem Deus vobis universis prospiciat! — Quod patris dictum mater pio voto confirmavit; tum omnes discesserunt.

VESPERA VIGESIMA SEXTA.

Pat. Agite, o mei liberi, hodie permulta vobis narranda habeo!

Omn. Euge! Euge!

Pat. Vereor autem, ut una haec vespera cunctis sufficiat.

Nonn. Nemo nostrum patris sermonem interrumpat; tunc sane tempus sufficiet.

Pat. Conabor equidem. Praeparemini igitur ad res novas horribiles audiendas, quas nemo praescire potest, qualem exitum sint habiturae.

(Tum liberi conjecturas suas exprimere gestiunt)

Jam parum vobis gratificaturum me puto, si cuncta, quae Robinson et Mercurialis quotidie instrumentorum ope confecerint, vobis describere perrexero. Nonne?

Johan. Gratum quidem facturus esses; attamen illa quisque sibi ipse facile fingere potest.

Pat. Itaque sufficiat dixisse, eos tempore succedente cunctos fere artifices — pistorem, fabrum ferrarium et lignarium, sartorem, sutorem, scriniarium, rotarium, figulum, hortulanum, agricolam, venatorem, piscatorem — pluresque alios tam feliciter imitatos fuisse, ut sexcentas res conficerent, ad quas comparandas nos Europaei ignavi totidem aliorum hominum auxilio indigemus. Viribus insuper illi aucti sunt, quo magis illas intenderunt; animi quoque in continuo utilique labore occupati indies meliores, atque sereniores redditi sunt. Ex quo satis intelligere possumus, deum optimum maximum nos ad ejusmodi industriam exercendam natura formasse, quoniam ea nunquam non saniores, meliores, atque feliciores nos reddere solet.

Haec inter negotia jucunda plus quam semestre temporis spatium elapsum, neque interea Mercurialis ausus est, dominum de itinere in patriam suam faciendo monere; etsi ille saepius finitis laboribus montem, unde insulae patriae regio conspici poterat, conscendere, meditabundus consistere, atque somniantis instar suspirare solebat, quod a patre in perpetuum disjunctus esse videretur. Robinson vero hucusque ejus itineris mentionem

 facere

facere studiose vitavit, quoniam amici desiderio satisfacere ante non poterat, quam instituta, ad novum vitae genus necessaria, perfecta essent.

Jam autem opera maxime necessaria absoluta fuerunt. Itaque Robinson primus navis, ad Mercurialis patrem adducendum, denuo aedificandae auctor fuit. Quod propositum gratissimum denuo magna laetitia illum affecit, ita ut omni modo gratum erga Robinsonem animum suum quoque significaret. Proximo igitur die opus inchoatum est, longeque felicius nunc successit, idoneis securibus instructis. Interim Robinson in negotio domestico occupatus Mercurialem ad littus mittit, testudinis quaerendae causa; diu enim grato hoc cibo caruerant. Ille vero brevi tanta cum celeritate atque formidine subito revolavit, ut vehementer anhelaret, neque lingua titubante quidquam proferre valeret, praeter verba ista: *Hem! adsunt! adsunt!* Robinson perterritus eum interrogat, quinam adsit? — Hem! domine! una, duae, tres — sex scaphae! — Numeri senarii angore perculsus reminisci vix potuit. — Robinson quam velocissime collem conscendit, atque non sine horrore videt, quas Mercurialis significaverat, sex scilicet scaphas barbaris repletas, appelli commodum conantes. Tum celeriter descendit, trepidantis Mercurialis animum confirmat, eumque interrogat: an fideliter ipsum adjuvare velit, pugna denuo cum barbaris exorta? — Vel cum discrimine vitae te adjuvabo, ille respondit, cum interim satis refectus fortitudinem pristinam in animum revocasset. „Age vero", Robinson exclamat, inhumanos istos impediamus, quo minus consilia sua saeva exsequantur! Quae constituerim, inter eundum tibi exponam; nunc non loquendi, sed agendi tempus est." Tum tormentorum unum e vallo deducit,

rotis

rotis suffultum; sex sclopeta majora, quatuor minora, satis repleta illa, duosque gladios profert. Uterque duo sclopeta manuaria, gladiumque cingulo immittit, tria sclopeta majora humero accipit, tormentique vehiculo se jungit. Globis plumbeis majoribus et minoribus, pulvere item nitrato copiose instructi erant. Sic illi horrenda quadam, atque taciturna cum gravitate e porta ad bellum progrediuntur! Ponte versatili superato consistunt. Tum Mercurialis revertitur, ad pontem sustrahendum, et claudendam portam; quo facto scalae sparteae ope, e rupe etiam dependentis, ad ducem rediit. Quam cautionem Robinson propterea adhibuit, ne inimici arcem occuparent, cum forte ipsi fortuna adversa in proelio uterentur. Tum ille consilia diu multumque animo versata Mercuriali exposuit. „Montem circum, ait, atque per densissimam partem sylvae ibimus, ne ab hostibus conspiciamur. Tum in arbustis densis ad littus tantum non procurrentibus ita quam maxime iis appropinquabimus, ne tamen ab iis conspiciamur. Cum eo perveneriumus, subito globum tormenti bellici super capita eorum projiciemus. (Hac mente funiculo tormentario instructus erat.) Quo barbaros adeo exterritum iri credo, ut relicta praeda statim in scaphis refugiant. —. Quod quidem Mercuriali vero satis simile visum est.

„Tunc non sine insigni laetitia, sic Robinson pergit, miseros istos, ad quos assandos huc advenerunt, ne ulla quidem gutta sanguinis profusa, nostro auxilio a morte vindicatos videbimus. Quod si vero spes ista nos fefellerit; si Cannibales multitudine freti in fugam se conferre dubitaverint: tunc, bone Mercurialis, viros nos praestabimus, atque periculis, in quae sola humanitate ducti nos conjecerimus, pectus forte opponemus.

 Ille,

Ille, qui cuncta videt, cur vitae discrimen adeamus, intelligit, nosque salvos reduces faciet, siquidem hoc nobis conduxerit. Fiat voluntas ejus!

Tum commilitoni manum porrigit, ambo autem pro virili invicem se adjuturos spondent. Interim tacito gressu usque ad extremam arbustorum partem perventum est; ibi consistunt. Robinson in aurem comitis susurrat, ut quam cautissime post arborem magnam serpat, sibique significet, num hostes ex eo loco conspici possint. Mercurialis reversus nuntiat, quam optime illos inde observari posse, ignem universos circumsidere, ossaque alterius captivi, jam mactati, assata rodere; alterum non procul ab illis in terra vinctum jacere, quem mox mactaturi essent; istum de popularibus suis non esse, sed virum album eumque barbatum videri. Robinson exarsit, de viro albo imprimis audiens. Tubum opticum e nave servatum secum apportaverat, quocum post arborem ipse collocatus, quae Mercurialis nunciaverat, vera deprehendit. Quinquaginta circiter Cannibales apud ignem consederant, captivum reliquum vero Europaeum esse, distincte agnovit.

Jam vix continere se potest. Sanguis aestuat, cor vehementer pulsat; illico etiam prorupisset noster ad caedem, si animo suo perturbato obsequi voluisset. Rationi tamen, quam furori caeco, obtemperare maluit; qua quidem animus ejus sedatus, indignationem cohibuit. Ad eam partem arbustorum, in qua longius illa procurrebant, Robinson progressus, tormentum post ea collocat, ubi hiatum mediocrem e longinquo vix conspiciendum invenerat. Tum illud ita dirigit, ut globus super barbarorum capita projiceretur, ne eo laederentur

Mer-

Mercuriali tacite significat, ut accurate ipsum in omnibus imitetur, quae se facientem vidisset. Quo facto duo sclopeta in terram demittit, tertiam manu tenet, quod Mercurialis imitatus est. Tum malleolum ardentem rimulae tormenti admovet; globus magno cum fragore explosus est. Qui ut a barbaris auditus est, plurimi e cespitibus ad terram procidunt, quasi universi vulnerati essent. Robinson et Mercurialis contra exitum rei avidi expectant, ad pugnam, si necesse foret, cetera parati. Barbari attoniti brevi in pedes se erexerunt; pavidiores ad scaphas profugiunt, fortiores arma capiunt. Illi vero in tormenti explosione neque pulveris fulgur, neque globum super ipsos projectum animadvertentes, nihil praeter sonitum tormenti audiverant. Propterea terror eorum expectatione minor fuit; cum autem nihil circumspiciendo invenissent, quo iterum perterrefierent, statim animum receperunt. Fugaces quoque revertuntur; cuncti horrendum ejulatum edunt, atque saevissimis gestibus arma vibrantes, chorum bellicum apud eos usitatum instaurant.

Robinson dubius etiam haeret, donec chorus bellicus finitus est. Cum vero non sine magna indignatione barbaros iterum considere, duosque eorum ablegari vidisset, ad Europaeum miserum illum adducendum, diutius se cohibere non potuit. Scilicet Mercuriali leniter significat: *Tu, ad dextram! ego ad sinistram! Deo adjuvante eos aggrediamur!* His dictis sclopetum ipse explodit, Mercurialis sequitur. Hic melius Robinsone collineaverat; in sinistra enim ignis parte quinque, in dextra tres tantum prociderunt. Ex illis tres vere interfecti, quinque vulnerati modo erant. Jam omnes, qui illaesi erant, vehementer perturbati se corripiunt, atque aufugiunt. Alii alia in loca procurrentes terribilem ejulatum edunt. Ro-

 bin-

binson nunc prorumpere gestit, ad eos gladio prorsus fugandos, et ad popularem suum, miserum illum atque vinctum, liberandum; sed obstupuit sane, cum nonnullos eorum, qui aufugerant, subito recolligi, atque ad defensionem parari vidisset. Itaque quam celerrime alterum sclopetum arripit; Mercurialis idem facit. „Paratus ne es?„ Robinson interrogat, quo annuente, iterum bombardam explosit, quod Mercurialis imitatus est. Hac vice duo tantum occubuerunt; nonnulli autem, vulnerati scilicet, clamantes atque ululantes, amentium instar, discurrunt, alii cruenti, alii vehementer laesi. Ex istis non ita multo post tres etiam semianimes procidunt. Age nunc dem Mercurialis, sic Robinson exclamat, dum sclopetum explosum abjicit, tertiumque repletum illud arripit, prorumpamus! His dictis ambo ex arbustis in planitiem prorumpunt, Robinson primum ad miseram victimam provolat, liberationem ei significaturus. Dum autem ad illum accedit, nonnullos barbarorum fugientium se conspecto haerere, reverti, atque ad pugnam se componere animadvertit. Robinson socio annuit; qui quidem ejus signo intellecto propius accessit, sclopetoque exploso unum ex illis prosterni vidit. Interim Robinson cultro vincula juncea dissecat, quibus captivi pedes manusque miserabiliter colligatae erant. Tum Germanico atque Anglico sermone eum interrogat, quisnam sit? Captivus latinis verbis respondet: se Christianum et Hispanum esse. Plura proferre propter magnam infirmitatem non potuit. Robinson opportune vini lagenam attulerat; si forte vulneraretur. Quo nunc subito Hispanum recreatum vidit. Jam illi sclopetum manuarium gladiumque porrigit, ut ad pugnam dirimendam sibi opem ferat. Mercurialem sclopeta explosa quam celerrime apportare jussit, quo de-

nuo

nuo implerentur. Hispanus vix sclopetum gladiumque acceperat, cum furentis instar in barbaros impetu facto duos eorum illico interfecit. Mercuriali ad eum sublevandum bombarda sexta traditur, Robinsone interim reliquas implente. Pugnatoribus ambobus fortiter resistitur, ita ut disjungerentur. Hispanus cum barbaro quodam manum conserit; Mercurialis gladio armatus magnam fugientium turbam propellit. Alios caedit, alii in aquam prosiliunt, ad scaphas se recepturi; alii in arbusta confugiunt. Hispanus interim ancipiti periculo premitur. Tanta ille quidem cum fortitudine barbarum adortus erat, quanquam adhuc infirmus, ut ejus capiti duo vulnera saeva infligeret; quod autem illum in furorem adeo egit, ut gladio lapideo bellico, satis gravi illo, Hispanum magnopere urgeret. Hic quoque vix ejus impetum declinare potuit. Tandem barbarus illum prehensum in terram prostravit, gladium manu extorsit, statimque ejus caput detruncaturus fuisset, nisi Robinson periculo ejus intellecto Cannibalis caput globo sclopetario perrupisset.

Hispanus erectus sclopetorum repletorum unum arripit, eosque persequitur, qui in arbusta confugerant; Mercurialis ei socium se addit. Qui cum pauci iique magnam partem vulnerati essent, Robinson satius duxit, in campo pugnae remanere, ad observandos reliquorum hostium motus, qui nunc quidem ad scaphas se receperant. Non ita multo post ambo commilitones reversi nuntiant, in arbustis neminem superesse. Tum illi sine mora unam e scaphis relictis conscendere statuunt, ad persequendos eos, qui cunctis velis adhibitis aufugere conabantur; Robinson autem eos retinuit, dicens: Abunde est, amici! sanguinis humani satis profudimus; plus fortasse, quam fas erat. Caeteri vivant, cum nobis porro nocere nec velint, nec possint.

Fieri autem potest, sic Mercurialis excipit, ut majoribus cum copiis revertantur, si eos nunc aufugere passi fuerimus — sit sane, Robinson respondet, ejusque humerum leniter et blande percutit; nonne exercitus noster quoque tertia parte auctus est? Tum Hispanum ostendens. Jam vel legioni integrae miserorum istorum audacter obviam ire poterimus, imprimis, si impetum eorum vallo moenibusque defensi expectaverimus.

Carol. Amo Robinsonem, quod denuo reliquis barbaris pepercerit!

Pat. Neque injuria hoc facis crudele sane fuisset, vel unum miserorum istorum temere interficere. Prorsus enim illi ignorabant, se facinus committere, quin etiam tristi hoc errore tenebantur, se bene mereri, quam plurimos hostes mactando, atque comedendo.

Christ. Hem turpe hoc esse, satis *intelligere* poterant!

Pat. Unde vero hoc illis innotuerit?

Christ. Vel infantes agnoscunt, nefas esse, hominem interficere, ut eum devores.

Pat. Unde autem infantes hoc intelligunt? scilicet ex eo, quod tempestive hac cognitione imbuti fuerunt!

Christ. Sane quidem!

Pat. Quid vero, si nulla institutione illi usi fuissent? si vel e parentibus, aliisque hominibus adultis, caris iis atque honoratis, a tenera statim aetate audivissent; pulcrum esse, hostes trucidare, atque devorare?

Christ. Tunc quidem. —

PAT. Nonne putas infantem tunc vix in suspicionem sententiae contrariae venturum? Ille potius adultus cum ceteris homines mactaturus atque devoraturus esset. Quae quidem miserorum istorum conditio fuit. Felices nos praedicemus, quod deus nos non inter istos, sed a parentibus humanitate excultis, nasci jusserit, qui nos tempestive docuerunt, justa ab injustis, bona a malis discernere!

Jam heros noster humanitate, et misericordia praeditus in campo pugnae lacrymans circumivit, an cuiquam eorum, qui adhuc viverent, auxiliari posset, exploraturus. Plurimi autem jam exspiraverant; ceteri, vino vulneribus instillato eos omni modo reficere studet, sub manibus ejus moriuntur. Unus et viginti numero erant mortui. De exercitu victore nemo in proelio ceciderat, ne vulneratus quidem fuerat. Hispanus unus tuber duxerat, cum in terram prosterneretur.

MATTH. Quomodo autem Hispanus in potestatem barbarorum pervenerit?

PAT. Robinsoni quidem nondum vacavit, hoc sciscitari; itaque nos etiam curiositatis nostrae sedandae opportunitatem in crastinum differemus.

OMN. Ehem! jamne finita denuo est narratio tua?

VESPERA VIGESIMA SEPTIMA.

Matth. Eho, pater, quomodo tandem Hispanus in potestatem barbarorum pervenerat?

Pat. Paullulum etiam quiescas, velim; mox illud audies. Interim aliquid contigit, quod antea a me narrari oportet.

Joh. Hem! quid tandem nobis afferes?

Pat. Robinson de relictis scaphis unam inspicere avebat. Itaque ad eam accessit, atque non sine magna admiratione in illa hominem aliquem invenit, Hispani instar, manibus pedibusque miserabiliter vinctum, qui magis, quam vivus videbatur. Robinson ad ejus vincula solvenda properat, eumque erigere studet. Ille vero neque pedibus se tenere, nec loqui valuit; miserabiliter potius flevit, putans nimirum, se nunc ad mortem ductum iri. Qui cum barbarus, non autem Europaeus esset, Robinson Mercurialem mortuorum corpora colligentem advocat, ut patrio sermone illum alloquatur. Vix autem Mercurialis illum accuratius contemplatus erat, cum spectaculum ejusmodi insecutum est, quod Robinson et Hispanus non sine lacrymis spectare poterant. Scilicet Mercurialis subito extra se raptus est In captivi amplexus provolans, eum osculatur, urget, clamat, ridet, exultat, saltat, plorat, manus torquet, faciem et pectus foedat, iterum exclamat, amentem toto habitu refert. Diu quoque, et saepius Robinson eum interrogavit, priusquam responderet domino:

Pater meus! Jam vero cuncta, quibus bonus Mercurialis laetitiam atque admirationem suam exprimere

primere gestiebat, describere non valeo. Vicies ille e scapha prosilit, vicies in eam revertitur. Nunc considet, tunicam aperit, patris caput pectori admovet refocillaturus illud, nunc brachia, articulosque a vinculis rigentes fricat; nunc ejus collum amplectitur, nunc pectus, eumque blandis osculis obruit. Robinson vini aliquantulum in lagena etiam inventum filio praebet, ad patris membra tumentia fovenda; tum paullulum secessit, ne praesentia sua eorum laetitiam impediret. Reversus Mercurialem interrogat: annon patri panem praebuerit? „Furcifer hic omnia solus devoravit," respondet ille, se ipsum demonstrans. Tum Robinson illi jentaculum suum ipsius offert, in crumena etiam repertum, quod Mercurialis patri praebuit. Quo facto, repente e scapha prosiluit, atque quam velocissime procurrit, ita ut oculis eorum se ante subduceret, quam Robinson illum interrogare posset. Mox autem reversus est, lentiori tamen gressu, quam procurrerat. Cum appropinquasset, cerni potuit, eum manu altera urceum aquae plenum, altera panem caseumque gestare. Illam patri, hanc domino porrigit, ad jentaculum ejus compensandum. Senex aqua gelida subito recreatus est, quippe qui male a siti affectus fuisset.

Jam Robinson ad Hispanum in gramine prostratum, atque languentem se convertit. Istum quoque a Mercuriali potu recreari jussit, atque panem cum caseo ei praebuit. Blando ille vultu Robinsonem gratos aspicit, seque erigere conatur. Vires autem eum deficiunt, tantos dolores in articulis manuum et pedum a vinculis tumentium sensit. Robinson Mercurialem prope illum considere, vinoque ejus membra, quemadmodum patris antea, leniter foveri jussit. Tum non sine magna

animi

animi commotione vidisses bonum istum filium inter mandatum exsequendum subinde capite ad patrem converso istius observare conditionem? Cum vero pater in terram penitus recubuisset, ut eo commodius quiesceret, Mercurialis venti velocitate tacitus ad eum provolans statim revertitur, simulac intellexerat, patrem quiescendi causa recubuisse. Tum Robinson Mercurialis auxilio Hispanum ad scapham deducere conatur; ille vero, robustus scilicet juvenis, Hispanum totum quantum facili negotio in humeros sublatum solus aufert. Postquam tormenta quoque, sclopeta, spoliaque interfectorum in aliam scapham transportata erant, Mercurialis in priorem saltu se conjecit, tamque velociter, etsi vento adverso, eam remis propulit, ut Robinson navigantis cursum in littore progrediens vix aequaret. Itaque vix dimidiam viae partem iste confecerat, cum Mercurialem iterum praetereuntem vidit, ad scapham alteram deducendam. Antequam vero ille eo pervenerat, ubi prior scapha cum aegrotis constituta erat, Mercurialis cum altera advenit. Tantam velocitatem hic in currendo, atque remigando adhibuit.

Jam e regione arcis constituerunt. Robinson procurrit, ad lecticam petendam, qua aegroti facilius transportarentur. Cui illi deinceps impositi, atque a Robinsone et Mercuriali in arcem delati sunt. Egregia sane Robinsonis hominum consuetudinem desiderantis praeda! Impense ille laetatus est, quod nunc vitae solitariae unquam agendae timorem tantum non deponere sibi liceret. Aegroti vero imprimis somno indigere videbantur. Interea dum Mercurialis utrique lectum stravit, Robinson aliquantulum vini calefecit, ad lavandos articulos illorum tumentes. Quo facto ad quietem

tem se composuerunt. Tum hospites ambo coenam salubrem parant. Mercurialis ad lamam adducendam mittitur, Robinson reliqua curat. Qui quidem subrisit, cum cogitasset, se indies magis personam regis referre. Totam scilicet insulam possidebat; subditi, qui omnes ab ipso servati erant, e nutu ejus unice pendebant, atque necessitate oblata vel vitae discrimen pro ipso adire debebant. Imprimis vero hoc illi memorabile visum est, quod totidem cultus divini genera, quot subditi in regno suo, invenirentur. Mercurialis eam Christianae doctrinae formulam amplexus erat, quam *protestantes* profitentur. (Vos, qui adultiores estis, quid hoc nomine significetur, intelligitis; vos parvuli autem expectabitis, donec melius sapueritis; tum hoc non minus ceteris cognoscetis.) Mercurialis igitur, uti dixi, protestantium, Hispanus Catholicorum, pater Mercurialis Ethnicorum etiam cultum divinum amplectebatur. Quomodo tu autem cum iis ages? „Robinson se ipse interrogat." Nonne vero penes te potestas sit eos cogendi ad amplectendam illam doctrinam, quam tute ipse amplexus es? „ Quam in cogitationem cum nunquam antea incidisset, curiosius rem perpendit. Vos autem, o mei, quidnam illum putatis sensu communi ductum de ista re decrevisse? Eine licuit subditos cogere ad amplectendam suam ipsius doctrinae divinae formulam?

Omn. Neutiquam!

Pat. Cur autem hoc ei non licuit?

Joh. Hem! quoniam nihil attinet, quid credas, modo honeste vivas!

Pat. Si quis vero, cum sit alius cujusdam dominus, intelligat, hunc errore teneri, nonne huic quidem liceat, istum cogere ad errorem deponendum?

Joh.

JOH. Hem! quidnam eo profeceris? Quicunque enim ad credendum vi adhibita cogitur, nec prudentior, nec melior eo redditur.

PAT. Recte judicas! Neque enim ille eo erroris convincitur. Quid autem juvat profiteri, quorum veritatem non perspicias? — Accedit, quod ille, qui alterum ad amplectenda placita sua coacturus sit, nunquam satis dijudicare potest, hunc in errore versari! Nonne fieri potest, ut ipse eo teneatur?

JOH. Sane quidem!

PAT. Cur vero?

JOH. Quoniam omnes homines errori obnoxii sunt!

PAT. Neque quisquam propterea sibi arrogare potest, ut putet, suas opiniones verissimas esse! Deus igitur, o mei liberi, deus unus, cum falli nequeat, eorum, quae crediderimus, arbiter est. Solus ille accurate intelligit, quaenam opiniones nostrae verae, falsaene sint; ille unice perspicit, quantam aut gravitatem, aut levitatem animi in cognoscenda veritate adhibuerimus; solus igitur intelligit, quatenus errores nostri nobis imputandi sint.

Eodem fere modo Robinson rem dijudicavit! Male isti pereant, sic ergo exclamat, qui imprudenti fervore ducti alios ad placita sua amplectenda cogere vi adhibita velint. Male pereant, qui caeco furore alios persequuntur atque excruciant, quod isti misero errore teneantur, atque ea animi honestate sint, ut nihil ore profiteri sustineant, quae nondum ex animo credant. Mea quidem in insula tali crudelitati locus nunquam erit! Equidem

dem pro virili novos cives *instituere* conabor; quodsi vero mihi non contigerit, eos erroris proprii convincere, meorumque placitorum veritatem iis perspectam reddere, credant isti, quicquid iis visum fuerit, non autem mihi, cum non minus illis errori sim obnoxius, sed deo olim ejus rationem reddant!

Igitur constitutum est, omnibus ac singulis cultus divini rationem liberam fore, nisi institutione adhibita ipsi sponte ad amplectenda eadem placita conspiraturi essent. Mercurialis interim redierat; tum sedulo carnem assare, cibosque apparare coquendo incipiunt. Dies hic, Robinson ait, duplicem ob causam festus merito a nobis habebitur; cum propterea quod duos homines e faucibus tigrium humanarum eripuimus, tum, quod tute Mercurialis, patrem tuum recepisti. Lautissimis igitur dapibus, quae in copiis nostris inveniantur, hodie mensam instruamus! — Mercurialis hac ad laetandum admonitione plane non indiguit. Nunquam ille antea tanta hilaritate fuerat. Semper cantabat, exsultabat, ridebat; nihilo minus autem negotia sua quam velocissime, atque optime curavit. Quodsi quis vero ita se gerit, hilaritas in vitio non est. Jam hospites ambo expergefacti sunt. Qui, quamquam a dolore penitus liberi nondum erant, adeo se recreatos, atque confirmatos tamen senserunt, ut Mercuriali et Robinsone adjuvantibus surgere, atque ad mensam considere possent. In quo barbarus senex non minus cuncta Europaeorum inventa admiratus est, quam filius olim, cum primum illa vidit. Mercurialis interpretis munere, nunc apud dominum cum patre et Hispano colloquentem fungitur.

FERDIN. An vero Hispanorum linguam ille calluit?

PAT. Neutiquam! Hispanus autem, qui sex fere menses inter barbaros versatus fuerat, eorum linguam ita didicerat, ut cogitata sua verbis satis exprimeret. Summa eorum, quae nunc ille narravit, haec est:

Navis nostra ad mercaturam mancipiorum faciendam missa fuit. Ab ora scilicet Africae venimus, ubi varias merces Europaeas cum granulis aureis, ebore hominibusque nigris commutaveramus. Horum quidem centum navi imposueramus, Barbadum transvehendos, ibique vendendos. Viginti eorum mortui etiam erant, halecum quippe instar coerciti. Tempestas saeva et diuturna ad oram Brasiliae nos protrubavit; qua calamitate, cum navis nostra dehiscere coepisset, in altum reverti ausi non sumus, sed satius duximus oram terrae continentis legere. Subito tempestas nova nos oppressit, ab Occidente surgens. Quae nos magno cum furore a continenti propulsavit, noctuque prope insulam quandam in saxa conjecit. Nonnullis tormentis explosis in nave, quoad fieri posset, perseverare constituimus. Hac mente mancipiorum nigrorum vincula solvimus, ut illa aquam in navem penetrantem exhauriendo nos adjuvent. Qui, simulac se liberatos sentiunt, unanimi consilio scaphis potiuntur, ad libertatem vitamque servandam. Tum inopes consilii haeremus! Cogi enim vi a nobis non poterant; nos enim quindecim numero, illi octoginta, multi quoque eorum armis nostris potiti erant. Neque tamen minus anceps periculum erat, in nave scopulis inhaerente sine scaphis relinqui. Igitur precibus eos aggredimur, qui paullo ante servi nostri fuerant, ut aut remaneant, aut nos secum abdu-

ducant. In quo a me impetrare nequeo, quin animi magnitudinem, et humanitatem miserorum mancipiorum istorum praedicem. Etsi enim illi satis duriter a nobis tractati fuerant, tamen misericordia commoti nobis permiserunt, ut ad se descenderemus, hac vero conditione, ne armis instructi accederemus. Quo permisso in scaphas desiluimus adeo nunc oneratas, ut instantem mortem timeremus. Interim dum ad insulam propinquam pervenire conamur, ventus subito commutatus nos, quantumvis remis connisos, in mare altum propellit. Jam in praesentissimum vitae discrimen deductos nos videmus. Nihilo minus tamen, quod omnibus mirum videbatur, scaphae quam maxime oneratae, fluctibus turgidis libratae, supra aquam eminere pergunt, donec praeter omnem expectationem nemine amisso ad insulam plane ignotam appellimur, cujus ab incolis pauperibus humanissime excepti sumus. Cum istis hucusque viximus quilibet suo modo, satis misero illo quidem, quoniam barbari ipsi nihil habebant, praeter pisces, qui ab iis capiebantur, et mediocrem fructuum copiam, quos insula edit. Attamen nobiscum illi omnia cummunicaverunt, nosque pisces capere docuerunt. Quod nigris nostris sociis maxime convenit, quippe qui alii vitae generi non assuefacti, nunc insuper in libertatem vindicati essent.

Ante aliquot vero dies populus finitimus bello insulam adortus est. Tum omnes arma capiunt, nos etiam officii nostri esse putamus, hospitibus nostris humanis succurrere. Equidem ad latus boni senis illius pugnavi, qui leonis instar, cui pullos eripueris, in hostes densissimos irruit. Quem cum ab iis circumveniri vidissem, dum auxiliari illi conor, ipse infelix cum eo captus sum. Duos

tum dies, duasque noctes tristi hac in captivitate, manibus pedibusque vincti degimus, siti insuper fameque excruciati. Nihil enim nobis praebitum est, praeter pisces putridos a mari ejectos. Hodierno autem die vix exorto ad scaphas protrahimur, ad sedandam alibi corporibus nostris crudelium istorum hominum famem more illis solito. Tum divina providentia vos, viri magnanimi et fortes, ad nos servandos adduxit, ut nobis ejusmodi beneficium conferretis, pro quo nunquam gratias dignas vobis persolvere poterimus.,,

Hispanus his dictis conticuit, lacrymis vero grati animi interpretibus, genae ejus redundant. Robinson incredibili cum laetitia animadvertit, conjecturam suam nuper expositam verissimam fuisse, Mercurialis cum eo divinae providentiae et sapientiam, et benignitatem admiratur.

Hispanus de vero copiarum in navi repertarum domino interrogatus, respondet: navem a duobus mercatoribus Gaditanis oneratam fuisse, ita tamen, ut alter tantummodo de coemendis sibi nigris Africanae orae incolis mandata dederit, alter, abhorrens quippe ab ejusmodi mercatura, nihil nisi grana aurea pro mercibus suis poposcerit. Jam Robinson Hispanum manu prehensum ad horreum suum atque in speluncam ducit, eique maximam partem navis fractae ibi conservatam ostendit; quo ille obstupuit. Mercurialis totam rem ei narrat, Hispanus admiratione perculsus obmutescit. Robinson ex eo etiam quaerit, cujusnam adamantes fuerint? vestesque praefecti militum, in navi repertae? Ille respondit: utraque haereditatem praefecti militum Anglorum fuisse. Illum, postquam diu in India Orientali commoratus, in reditu autem in Angliam morbo vehementi implicitus fuis-

set,

ſet; ut in ora Africae exponeretur, deſideraviſſe, ibique mortuum eſſe. Navi Hiſpanae mandatum fuiſſe, ut ejus haereditatem Barbadum deportaret, unde iſta in Angliam transferretur.

Tum Robinſon cuncta ſcripta e navi conſervata illi oſtendit, in quibus ab Hiſpano, et mercatoris, cujus grana aurea erant, et viduae praefecti, ad quam mariti mortui adamantes et veſtimenta deportari debebant, nomina inventa ſunt. Ex eo tempore ſtatim Robinſon grana aurea, adamantes, ſcriptaque iſta, velut rem ſacram, religioſiſſime aſſervat. Interim veſper advenerat; univerſi autem diei hujus moleſtiis et periculis exantlatis viribus ſe adeo exhauſtos ſenſerunt, ut ſomno benigno recreari magis ſolito hodie optarent. Itaque fecerunt, quod nos quoque faciemus, ſimul ac deo pro tranquillitate, et felicitate illaeſa, qua nos quidem hodie gaviſi ſumus, pias gratias egerimus.

VESPERA VIGESIMA OCTAVA.

Pat. Proximo die Robinſon cunctos ſubditos mane multo convocat, ad negotium conjunctis viribus perficiendum, quod differri non poterat.

Joh. Quodnam tandem?

Pat. Caeſorum ſcilicet cadavera inhumata etiam in campo pugnae jacebant; verendum autem erat, ne malis eorum vaporibus peſtis exitioſa oriretur. Itaque ſecuribus inſtructi omnes ad locum illum horrendum ſe conferunt.

Ferd. Securibusne?

Pat. Sane quidem; non autem ad sepul facienda, quem quidem in finem rutris, spath que instructi venissent, sed ad caedenda ligna, gum scilicet structuri, in quo mortuorum corp conjunctim comburere statuerant.

Joh. Romanorum morem in comburendis m tuis imitati sunt!

Pat. Aliorum quoque antiquitatis populorum Popularium enim suorum parum sapientium co suetudinem noxiam Robinson imitari noluit, qu tunc temporis mortuorum corpora mediis in urbi bus, aut in templis sepeliebant imprudentes, ub illa vivis pestem, ac mortem exhalabant.

Matt. Ehem! idem etiamnum faciunt illi!

Pat. Male quidem! Ex quo rursus intellige tis, quam arduum hominibus sit, a pravis co suetudinibus abstrahi. Haec quoque primari causa est, de qua vos saepe exhortari soleo ad sa pientiam et honestatem tempestive sequendam. Si quis enim stultitia vitiisque semel imbutus adeo est, ut eorum consuetudinem duxerit, non sine multo labore, et studio ab iis liberabitur, etsi vi eorum noxia quam luculentissime perspecta. Hodie enim nemo est, quin intelligat, vapores cor porum mortuorum vivis nocere; nonne autem ni hilo magis illa in coemeteriis urbium, aut in for nicibus templorum, in quibus ne terra quidem obruuntur, reponi solent? Integrum forsitan sae culum elabetur, antequam homines de ritu isto noxio abrogando serio cogitare incipiant!

Joh. Modo penes me ejus rei potestas esset; non diutius illa toleraretur.

Pat.

Pat. En! cariſſime Johannes, gravem ſane cauſam, quae te, alioſque pueros impellat, ut animi, ingeniique virtutibus prae ceteris eminere ſtudeatis! *Scilicet tunc cives veſtri vobis magnopere confiſi ad munera adminiſtranda vos evehent, quae vobis poteſtatem dabunt multos abuſus abrogandi multaque humanò generi utilia inſtituendi.* Deus etiam optimus maximus vos univerſos ad hoc deſtinaſſe videtur, ut olim tanta auctoritate polleatis, per quam a vobis inſignis aliquando utilitas ad cives veſtros redundet. Omnia enim ad hanc conditionem neceſſaria, numen benignum vobis tribuit. A parentibus quippe honeſtis, amore, et gratia civium gaudentibus, orti eſtis; corpora valentia, animique facultates integras vobis dedit, nunc quoque ea inſtitutione frui vos juſſit, qua pauci ſe beatos praedicare poſſunt. Igitur, quae ad conſequendam olim praeſtantiam, atque auctoritatem imprimis requiruntur, deus larga manu vobis proſpexit. Jam turpitudinis notam ille ſuſtinebit, qui recte ſis uti noluerit! Quod ne quisquam veſtrum faciat, minime vereor! ſi autem olim, quod deus bene vertat, tales evaſeritis, quales evadere poteſtis, ut nimirum ad communem utilitatem plurimum conferre poſſitis — quaeſo vos, o mei, ut auctoritate vobis conceſſa ad imminuendam miſeriam, ad augendam vero felicitatem humanae ſocietatis utamini! Tunc ejus quoque occaſionis recordemini, quae mihi hodie data fuit, vos paterno cum amore exhortandi, civibusque veſtris perſuadere conemini, ut mortuorum corpora iis in locis ſepeliant, ubi vaporibus peſtiferis exhalatis nocere vivis nequeant.

Nicol. Equidem avo, et avunculo iſta dicam, ut primum ad urbem acceſſero; iſti rem ſatis expedient.

Pat. Quod ut facias, care Nicolae, te rogo!

Robinson et socii combustis cadaveribus domum redeunt. Interim Mercurialis patrem docuerat, nefas esse humana carne vesci; quod ille primum satis perspicere non potuit. Filius autem cuncta ei exponere pergit, quae ipse a domino audiverat, atque sic brevi patrem eo adduxit, ut morem istum inhumanum ex animo aversaretur. Senem istum Robinson *Martialem* propterea appellavit, quod filio prior fuisset; sic eum in posterum quoque appellabimus.

Jam Robinson universos ad concionem convocat, in qua Mercurialis iterum interpretis munere cum erga Hispanum, tum apud senem Martialem functus est. — Ipse, apud quem summa potestas erat, brevi hac oratione concionem instaurat: „Nos, o boni, qui hic congregati sumus, „omnia nunc possidemus, quae ad bene beateque „vivendum requiruntur. Ego vero his beneficiis „divinis cum tranquillitate animi non fruar, quoad „alios esse intellexero, qui jure sibi ea vindicare „possint, inopia autem atque miseria opprimantur. Populares tuos, amice Europaee, Hispa„nos scilicet inter barbaros relictos significo! Ita„que a vobis peto, ut quilibet vestrum senten„tiam dicat, de optima ratione miserorum istorum „nobiscum conjungendorum!

Haec praefatus unum quemque sententiam proferre jubet. Hispanus, scapha in praedam accepta solus se profecturum ad eos adducendos, pollicetur. Martialis idem facere paratus est. Mercurialis autem satius putat, patrem senem remanere; optatque, ut sibi liceat Hispanum comitari. Tum non sine animi magnitudine certatum est, cuinam contingeret vitae periculum adire; quo

Robin-

Robinson tandem coactus est ad dirimendum certamen sententiam dicere, cui omnes laeti obtemperaverunt. Haec erat, ut Hispanus cum Martiali proficisceretur, Mercurialis autem apud se remaneret.

Car. Cur vero non Mercurialem potius delegavit, quam senem miserum?

Pat. Partim amore Mercurialis ductus, quem ut in periculum se ipso absente conjiceret, a se impetrare non potuit, partim quod senex magis etiam filio maris navigationisque peritus esset. Hispanus autem propterea illum comitari debebat, quod populares ejus Robinsonis invitationem sequi alioquin vix ausi fuissent. Itaque decernitur, ut ambo illi proxime in viam se conferant. Antea autem necesse erat, ut ager decies major araretur, atque coleretur; aucto enim colonorum numero, victus etiam necessarius quotidie augeri debebat. Cuncti igitur per aliquot hebdomades continuas agricolarum munere funguntur. Quolibet vero opus sedulo faciente, omnia feliciter et cito peracta sunt. Quatuordecim diebus elapsis cum cuncta absoluta essent, iter constitutum paratur. Quod antequam institueretur, Hispanus probitatis gratique in Robinsonem animi documentum edidit, quod simul prudentiam ejus ostendit. Populares scilicet suos, ipsius instar, remiges de plebe, hoc est, nulla institutione excultos esse, dixit; neque adeo se eorum animos perspectos habere, ut pro illis sponsorem agere sustineat. Itaque se optimum putare, ut Robinson, velut insulae dominus, leges certas constituat, quibus illi in fidem et tutelam ab eo accipiantur; tum vero neminem adduci debere, nisi qui legibus istis se subjecerit. Robinson magna cum voluptate novi subditi fidem agnovit, ejusque consilio obtemperavit. Leges autem ab eo constitutae hae erant:

 „Qui-

„Quicunque in Robinfonis infula vivere, atque emolumentorum, quae illa praebet, particeps effe cupit, eum oportet:

1) „Voluntati domini ejus legitimi in omnibus „obedire, cunctisque inftitutis, quae ille ad falu- „tem communem civium promovendam neceffaria „putaverit, obtemperare.

2) „Vitam agere laboriofam, fobriam et ho- „neftam; nemo enim in hac infula tolerabitur, „qui ignaviae, luxuriae, aut ulli turpitudinis ge- „neri fe dederit.

3) „Abftinere ab omni rixa, et altercatione; cum „quis autem fe laefum putaverit, injuriam ipfe „non ulcifcitor, fed potius querelam fuam aut ad „infulae dominum, aut ad eum deferto, qui ju- „dex ab illo conftitutus fuerit.

4) „Omnes labores, ad falutem communem „neceffarios, lubenter fufcipere, ac neceffitate ur- „gente domino vel cum difcrimine vitae opem „ferre;

5) „Conjunctim cum ceteris omnibus ei refi- „ftere, qui fingulas iftarum legum aequiffimarum „transgredi aufus fuerit, ut aut ad officium revoce- „tur, aut ex infula in exilium perpetuum pella- „tur.

„Neminem vero non hortamur, ut, nifi his „conditionibus ferio perpenfis, nomen juris juran- „di loco non fubfcribat, quo fignificet, fe quam „religiofiffime illis obtemperaturum effe!

Robinfon.

Hifpanus has leges fcriptas in vernaculum po- puli fui fermonem vertit; quo facto conftituitur, ut ille calamo et atramento inftructus proficifca- tur, quo populares ejus antea nomen illis fubfcri- bant,

bant, quam cum ipso proficiscantur. Tum optimam scapharum captarum eligunt, atque iter parant.

CONR. An vero cunctos Hispanos una scapha capere potuit?

PAT. Minime quidem! Illa enim ad iter eo faciendum unice opus erat. Ad redeundum vero scaphis navis fractae uti poterant, quas Hispanus incolumes adhuc esse perhibuit.

Jam victu idoneo in scapham deportato, ventoque secundo oborto, profecturi magna cum pietate valedicunt Robinsoni et Mercuriali; tum vela ventis dant. Mercurialis incredibili moerore afficitur de abitu patris carissimi. Plures diei hesterni horas plorando transegerat, nihilque ciborum prae tristitia sumserat. Nunc autem cum illi vere a se disjuncti sunt, nullo solatio confirmari potuit. Subinde patrem amplexus faciem ejus lacrymis irrigat. Tandem senex violenter se ab illo disjunxit; cum autem in navi jam esset, scapha commodum pronatante, Mercurialis eum persecuturus in mare prosilit, atque ad cymbam accedens patrem denuo osculatur, denuo ultimum, vale! singultans illi dicit! Quo facto ad littus revertitur, atque in colle considens cymbam properantem enixe suspirans, lacrymansque oculis usque persequitur, donec illa eorum aciem penitus effugit.

Robinson animum ejus a cogitationibus moestis illis abducere cupiens, maximam hujus diei partem venationi, et jucundis per insulam ambulationibus dedit. Non longe illi processerant, cum canis villosus, comes scilicet domini, in radicibus saxi arbustis consiti consistens magnum latratum edidit. Propius ad locum istum accedentes,

hiatum in saxo deprehendunt, ea magnitudine, ut irrepere, non ingredi posses. Robinson, qui nihil inexploratum relinquere solebat, quod quidem attentionem ipsius excitaverat, comitem in hiatum istum irrepere jussit. Qui cum vix caput immisisset, horrendum clamorem tollens resiluit, nihilque Robinsonis admonitionem curans, amentis instar, aufugit. Tandem Robinson eum assecutus causam fugae subtimidus rogat. „Heu! heu! Mercurialis respondet, voce fere occlusa, aufugiamus, quantum pedes nostri valeant! Monstrum horrendum in spelunca vidi, oculis ingentibus ardens, faucibus tantis, ut nos ambo simul devoraturum sit. — Ehem! Robinson excipit, fauces satis amplas narras; attamen ipse rem explorabo. „Hem! hem! Mercurialis exclamat, ad pedes domini projectus, per deum te obtestor; noli hoc facere! Sine dubio illud monstrum te deglutiet, tum misero Mercuriali dominus ereptus erit.“ Robinson subridens eum interrogat: an ipse ab illo devoratus sit? Quod cum ille non affirmasset, velocissime domum recurrere eum jussit, lampadis petendae causa. Ipse interim ad speluncam reversus, sclopeto pleno instructus in custodia se ante illam collocat. „Quid, quaeso, sic ille cogitavit, illud fuerit, de quo Mercurialis tuus tam horrenda praedicavit? Bestiane? Leo, tigris, panthera, aut ejusmodi? Hem! si tale quid esset, temeritatis foret, in illam irrepere. Nonne autem mihi jam diu innotuerit ejusmodi bestia, siquidem in hac insula reperiatur? Insuper credo, Mercurialem incolumem pedem relaturum non fuisse! Neutiquam! Nulla bestia est! Timiditate iterum ille deceptus vidit, quae nulla essent! Itaque ipse rem explorabo, ut animum boni hominis a puerili isto timore liberem!

Interim

Interim Mercurialis cum lampade accensa redit, atque plorans dominum iteratis precibus obtestatur, ne in periculum tam horrendum, et anceps se conjiciat. Robinson autem, timoris quippe expers, simulac consilii gravitatem, et prudentiam adhibuisset, ab incepto nullo modo deterreri solebat. Mercurialem potius rogat, ut animo confidat, tum lampadem sinistra, sclopetum bene repletum dextra accipit, monstroque fortiter obviam it. Capite vix immisso, ad tenuem lampadis splendorem ipse quoque aliquid conspexit, quod eum horrore perfunderet. Propterea tamen aufugere noluit, manum potius lampade instructam protendit, quo distinctius monstrum illud inauditum cerneret. Tum vero intellexit, nihil plane illud esse, nisi lamarum hircum, qui in eo esset, ut senectute, et infirmitate fractus vitam exspiraret. Postquam igitur satis circumspexit, nihilque deprehendit praeter animal illud minime terribile, penitus in speluncam irrepsit, Mercurialemque sequi jussit. Hic, etsi vehementer trepidabat, tamen a se impetrare non potuit, ut bonum dominum proderet. Igitur animo honeste confirmato, illum sequi constituit, atque non sine magna admiratione vidit, quantum in describendis oculis, faucibusque bestiae erraverit? Nunc intelliges, Mercurialis, sic illum Robinson blanda voce appellat, quantopere timiditate deludi soleamus? Ubinam nunc sunt oculi isti ardentes? Ubinam fauces ingentes, quas tu antea conspexisse tibi visus es?

Mercur. Profecto antea illas cernere mihi visus sum!

Robins. De hoc equidem non dubito; attamen te oportebat meminisse, timiditatem mendacem esse, quae saepius nos vanis speciebus deludat! Eo-

dem

dem ex, fonte omnes istas fabulas aniles de spectris, aliisque portentis manasse puta! Earum quippe auctores aniculae meticulosae, aut viri, earum instar, timidi fuerunt, qui, quemadmodum tute, monstra inania cernere sibi viderentur, atque tuo more postea se vera vidisse affeverarent. In posterum ergo, Mercurialis, virum te praesta, atque accuratius re inspecta timorem muliebrem depone! „Tum ille nihil intentatum relinquere pollicetur. Hircus lamarum interim animam expiraverat, Robinson cum Mercuriali illum e spelunca protrudere, atque terra obruere conatur. Quo facto curiosius locum istum explorantes inveniunt antrum satis amplum et jucundum, e quo magnam in posterum utilitatem se capturos sperabant. Scilicet arte excavatum illud videbatur, satis siccum et gelidum erat, parietes autem crystalli instar, radios lampadis undiquaque adeo repercutiebant, ut in hypocausto, speculis ornato versari viderentur.

Robinson illico antrum istud jucundum sibi elegit, in quo corpus calore solis aestivi debilitatum grato frigore recrearet, simulque eas copias conderet, quae nimii caloris impatientes essent. Insuper illud ab arce non longe disjunctum erat. Igitur statim Mercurialem misit ad instrumenta petenda. Quorum ope illico ostium antri amplificare instituunt, idonea porta illud postea munituri. Quod negotium absentiam ceterorum longe tolerabiliorem, et jucundiorem illis reddidit.

VESPE-

VESPERA VIGESIMA NONA.

NICOL. Equidem nunc ſemper timere ſoleo, cum pater narrationem perſequitur!

PAT. Qua de cauſa, bone Nicolae, times?

NICOL. Scilicet, ne hiſtoria tua mox finiatur!

THEOPH. Equidem, ſi patris vicem ſubire mihi liceret, illam adeo producerem, ut nunquam finiretur!

PAT. Cuncta, o boni, gaudia noſtra terreſtria aliquando finem habitura ſunt; hoc veſtrum igitur non minus ceteris! Itaque vobis ſuadeo, ut in iſtum eventum praeparemini! Nova enim tempeſtas Robinſoni imminet, cujus eventum vobis equidem praeſtare nequeo. Itaque caveatis, velim! Legati nimirum vel octiduo elapſo nondum reverſi ſunt. Quod triſtitia illos afficere coepit. Mercurialis quotidie plus decies ad montem aut ad littus procurrens cernendo oculorum aciem debilitavit, neque tamen quidquam conſpexit. Tandem tempore quodam matutino, cum Robinſon domi etiam occupatus eſſet, ſubito cantans, exſultansque rediit, ac eminus domino acclamavit: *jam adveniunt!* Robinſon hoc nuntio non minus laetatus, teleſcopio arrepto ad collem properat. Inde e longinquo ſcapham ſatis magnam ad inſulam accedere videt; teleſcopio autem adhibito caput motitans, Mercurialis, Mercurialis, ait, vereor, ne quid acciderit! Mercurialis expalluit! Robinſon iterum ſpeculatus, magis etiam perturbatur. Tandem de veritate eorum, quae cerneret, dubitare amplius non potuit; ſed ſuſpicionem ſuam cum Mercuriali attonito communicavit. Mercurialis, inquit, quos video, Hiſpani

ſpani noſtri cum patre tuo non ſunt; navis Anglica eſt, Anglique armati in ea! Mercurialis toto corpore contremiſcit. Age, Robinſon addit, aliumque collem velociter conſcendit, unde ora ſeptentrionalis accuratius perluſtrari poterat. Vix eo pervenerant, oculorumque aciem ad mare direxerant, cum ambo attoniti, mutique haeſerunt. Nimirum mille circiter paſſuum ſpatio navem ingentem Britannicam in anchoris haerere cernunt. — Tum Robinſonis animus admiratione, metu, laetitia invicem perturbatur; laetitia nempe, ex adſpectu navis ejus concepta, quae ad ipſum liberandum adeſſe videbatur; admiratione vero, et metu, propter conſilium, quo iſta huc profecta eſſet. Tempeſtate quidem navis iſta huc delata non videbatur, nulla enim plures abhinc hebdomades orta fuerat. Neque vero etiam recto curſu huc eam perveniſſe putavit; quid enim Britannos adducere poterat, ut eam regionem peterent, ubi nullae eorum coloniae, nulla igitur commercii exercendi opportunitas erat. Itaque vereri coepit, ne piratae eſſent.

Frid. Quinam iſti ſunt?

Pat. Reperiuntur etiam homines, adeo male inſtituti, ut, quantum flagitium ſit furari, neſciant. Miſeri iſti ergo nefas non putant, aliis aut clandeſtine, aut vi bona eripere, ſibique tribuere. Quodſi in terra continenti faciunt, *fures*, aut *latrones* appellantur; ſin in mari, *piratae!*

Christ. Iſti vero Angli fuerunt?

Pat. Hoc Robinſoni viſum quidem fuit; nihilo minus autem putavit, homines iſtos nefarios, ſiquidem piratae eſſent, navem Britannicam expugnare,

nare, atque Anglorum vestes induere potuisse. — Primis quidem vitae solitariae atque miserae temporibus, in hac insula peractis, felicem ille se praedicasset, si a piratis detectus, atque in servitutem abreptus fuisset, scilicet ut ad homines revertendi opportunitatem inveniret. Nunc autem conditione laetiori beatus cohorruit, cum in nefariorum ejusmodi hominum potestatem perventurum se cogitavit. Igitur hoc timore cum Mercuriali communicato, illo comite abiit, consilium eorum, qui in scapha accesserunt, eminus exploraturus. In colle arboribus virgultisque consito se collocant, ubi cuncta ab ipsis ita observari poterant, ut ipsi tamen laterent. Ex eo cernunt, scapham undecim hominibus oneratam mille passuum circiter distantia ad littus planum appellere. Navigantes in terram escendunt. Octo ex iis armati, tres reliqui nullis armis instructi erant. Hi quidem cum vincti antea essent, simulac in littus ascenderant, vinculis soluti sunt. Tum unus eorum miserabili gestu armatos illos obtestatur, in genua supplex prostratus. Reliqui duo subinde manibus sublatis a deo auxilium et salutem petere videntur. Quibus conspectis Robinson dubius et anceps consilii haesit. Mercurialis autem, triumphantis instar, ad eum accessit, dicens: En vero, domine, populares duos captivos non minus devorantes! Apage te, Robinson subindignatus respondet, cum ista tua suspicione! Tum tubo optico illos observare pergit. Nonnullos etiam armatorum gladios iterum iterumque in captivum supplicem illum convertere non sine magno horrore videt. Tandem tres captivos relictos cernit, ceteris in sylvam dispersis. Illi vero moerentes eodem in loco consident, de salute prorsus desperantes. Quod Robinsoni miserrimam suam ipsius in insulam istam projecti conditionem in memoriam revocavit; igitur miseris

miseris istis, vel cum *vitae* periculo, auxilium ferre constituit, siquidem digni forent. Mercuriali ergo sclopeta, gladii, apparatusque tormentarius, quantum eorum auferre posset, apportanda mandantur.

CAROL. Apparatus tormentarius? Quid hoc rei est?

PAT. Pulvis scilicet nitratus, glandesque tormentariae. —

Robinson ipse remanere satius putavit, qualem eventum res habitura sit, observaturus. Cunctis igitur rite paratis, sclopetisque completis, magna cum voluptate nostri animadvertunt, nautas circumvagantes passim in umbra recubare, ad solis aestum meridianum somno fallendum. Robinson justo temporis spatio elapso, strenue ad miseros illos in eodem loco adhuc sedentes accedit. Qui cum facie a Robinsone aversa consedissent, attoniti obstupuerunt, audita ejus voce, subito clamantis: quinam vos estis? Scilicet exsiliunt, fugamque capessere conantur. Robinson vero Anglico sermone eos exhortatur, ne timeant; se eorum servandorum causa adesse! „E coelo demissum te quidem interpretaremur, alter eorum respondet, simulque capite magna cum reverentia nudato eum stupet.“ Omne auxilium a deo proficiscitur, Robinson eum excipit, jam vero vos rogo, o boni, ut mihi sine ulla mora significetis, quaenam sit calamitas vestra, quove modo equidem vobis opitulari possim? „Equidem navis praefectus sum; hic gubernator meus fuit, iste vero socius itineris, respondet ille, comites simul demonstrans. Nautae mei rebelles conjuratione facta navi mea potiti sunt. Meipsum vero cum viris istis probis, eorum rationem improbanti-

bantibus, primum interficere illi conftituerant; tandem precibus noftris commoti vitam nobis donarunt. Ifta vero mifericordia morte ipfa crudelior effe videtur. In infula ifta nimirum deferta nos expofuerunt, ut inopia, et miferia hic periremus. — „Duplici lege vobis vel cum vitae difcrimine falutem confervare equidem conabor, Robinfon refpondet.“ — Quaenam iftae funt leges, vir egregie? praefectus eum interrogat. „Scilicet ut obedientiam mihi praeftetis, Robinfon eum excipit, quoad in hac infula vixeritis; tum ut me, meosque in Angliam reducere polliceamini, fiquidem navem veftram tibi reftituere mihi contigerit.“ Nos, cum navi, omnibusque rebus, quae in ea funt, in poteftatem tuam nos tradimus, praefectus refpondet. En tandem, Robinfon pergit, fclopetum, gladiumque cuilibet veftrum praebeo, ea tamen conditione, ut iis non ante utamini, quam equidem neceffe putavero. Oppreffores veftri fomno nunc fopiti jacent, difperfi infuper; agite! incruenta victoria eos in poteftatem noftram redigere conemur!

Tum illi proceffere; Mercurialis laqueos fecum aufert, quibus captivi vincti fuerant. Jam ad proximum accedunt, in faciem proftratum, adeoque profundo fomno oppreffum, ut manibus pedibusque ejus vinctis, muccinio os ei ante clauderent, quam penitus expergefieret. Manibus in dorfo colligatis, in eodem ftatu immotus manere, neque minimam vocem edere jubetur, nifi globo fclopetario caput perrumpi velit. Ita autem eum collocaverant, ut facie ad oceanum directa, fociorum conditionem cognofcere non poffet. Quo facto ad fecundum accedunt, qui quidem eadem fortuna ufus eft. Eadem fcilicet ratione vinctus, collocatus, atque minis exterritus fuit. Hic quoque fortuna,

aut potius providentia divina, innocentiae custodem, injuriaeque vindicem se praestitit. Sex miserorum istorum eodem fere modo vincti jam erant, cum postremi duo subito expergiscentes se corriperent, armaque caperent. „Scelesti homines, Robinson eos alta voce compellat, socios vestros cernite; nos vobis superiores esse, intelligite, atque sine ulla mora arma abjicite! Si vel temporis momentum cessaveritis, morte luendum vobis erit!"

Tum illi delicti veniam suppliciter a praefecto petentes, armis abjectis in genua se prosternunt. Quo facto manus eorum quoque colligantur, tum universi in speluncam nuper detectam ad carcerem deducuntur, simulque illis significatur, quicunque eorum portam ligneam effringere conaretur, a custode relicto interfectum iri. Cultri antea etiam universis adempti sunt. Robinson, et Mercurialis cum sociis novis ad scapham istorum se conferunt, vectibus adhibitis penitus in littus eam protrahunt, ac foramen carinae incidunt, ut in praesenti inutilis redderetur.

FERD. Qua vero de causa?

PAT. Scilicet praevidebant, fore, ut altera scapha e navi primaria mitteretur, priori illa non reversa. Igitur impedituri erant, ne prior ab illis abduceretur. Dictum, factum! Sub horam post meridiem tertiam tormentum in navi exploditur, ad revocandos e littore nautas. Quo signo ter repetito cum nemo rediisset, alteram scapham a navi proficisci, atque ad insulam tendere cernunt. Robinson cum sociis in collem se recipit, quidnam porro consilii capiendum sit, deliberaturus. Scapha appulsa est. Tum ad priorem currunt, atque

non

non ſine magna admiratione eam perforatam, ac in littore jacentem vident. Jam circumſpiciunt, ſociosque inviſibiles nomine vocant; nemo autem fuit, qui reſponderet. Decem numero erant, armati omnes. Robinſon, qui e praefecto audiverat, inter captivos tres reperiri ceteris probiores, qui non niſi metu a reliquis ad conjurationem ineundam coacti eſſent, Mercurialem cum gubernatore ad iſtos quam citiſſime adducendos delegat. Quo facto praefectus, interim Robinſonis ſententia audita, crimen commiſſum leniter iis exprobrans ex iis quaerit: an fidem ſibi venia delicti impetrata praeſtare velint? „Ad mortem usque, trepidantes illi reſpondent, atque in genua ſe proſternunt. Tum praefectus ſic loqui pergit: vos quidem ſemper antea probos inveni; itaque ſpero, vos ſeditionis participes non fuiſſe, atque crimen veſtrum eo majori fide expiaturos eſſe. His dictis tres nautae lacrymas laeti, gratique effundunt, manumque praefecti oſculantur, quantopere facinoris ipſos poeniteat, ſimul teſtificantes. Tum ille armis redditis eos ducis communis mandata ſedulo facere jubet.

Interim, qui poſteriori ſcapha advecti erant, clamare, atque ſubinde ſclopeta explodere non ceſſaverunt, ſperantes ſcilicet, ſocios diſperſos eſſe reverſuros. Tandem cum omnes conatus ſuos irritos eſſe intellexiſſent, crepuſculo ingruente, de ſua ipſorum ſalute ſolliciti, centum fere paſſuum ſpatio a littore recedunt, anchoras ibi jacturi. Nunc autem verendum erat, ne illi mox ad navem reverterentur, ſociisque relictis proficiſcerentur; quae quidem ſuſpicio praefecti aeque ac Robinſonis animum magnopere perturbavit. Hic autem opportune conſilium prudentiſſimum invenit. Nimirum Mercurialem juſſit, cum nauta in virgulta procur-

rere duo circiter millia passuum a scapha eorum sejuncta, ut ex eo loco clamantium vociferationi responderent. Simulac autem intellecturi essent, voces suas audiri, illosque escendere ad se quaerendos, sensim in virgulta longius se recepturi erant, ad eos, qui a scapha progrederentur, alliciendos, atque quam longissime ab ista deducendos. Tum ipsi alia via ad socios citissime reversuri erant. Quod strategema callidissimum egregium successum habuit. Nautae scilicet scapha vecti voce respondentium vix audita, ad littus redire properant, sclopetisque instructi eam in regionem procurrunt, unde vocem istam exire audivissent. Duo ad scapham custodiendam relicti sunt. Mercurialis cum socio domini mandatum optime exsequutus, quinque millium fere passuum spatio illos in virgulta post se allicit. Tum incredibili velocitate ad duces redeunt. Robinson interea praefecto consilium omne exposuerat, cujus summa haec fuit, ut iterum nullo sanguine profuso cunctis illis potiri conarentur.

Interim tenebrae obortae erant. Robinson cum sociis tacitus ad scapham procedit, neque longius viginti passuum spatio ab illa abest, cum nautae duo ad eam custodiendam relicti nihil etiam animadverterent. Tum repente horrendo cum clamore, armorumque strepitu prorumpunt, caedem, exitiumque minitantes, si quisquam ex illis se commovere ausus esset. Nautae veniam delicti rogant; tum ad eos vinciendos nostri accurrunt. Quo facto istam quoque scapham in littus protrahere properant. Tum in virgulta proxima universi se recipiunt, reliquorum adventum expectaturi. Qui quidem singuli accesserunt, longis inutilibusque erroribus fessi. Magnopere autem admirati atque lamentati sunt scaphae damnum. Ad istos, cum

quin-

quinque numero essent, nautarum in gratiam receptorum unus mittitur, interrogaturus: an sponte armis abjectis se dedere velint? Sin hoc nolint, insulae procuratorem triginta passuum spatio quinquaginta milites in aciem eduxisse, ad ipsos caedendos. Scapham ipsis jam ereptam sociosque captos, ipsis vero aut mortem, aut captivitatem eligendam esse. Tum Robinson cunctos suos armorum strepitum edere jussit, ad confirmandam legati orationem. „An vero delicti veniam impetraturi sumus?" quidam ex iis tandem rogat; cui praefectus in virgultis latens sic acclamavit: vocem meam agnoscis, Thomae Smithe; si illico arma abjeceritis, vita vobis donabitur, Atkinsio excepto. Scilicet ille seditionis auctor fuerat. Tum universi statim arma abjiciunt, Atkinsius autem exclamans, praefectum obtestatur, ut sibi parcat atque ignoscat; ceteros scelus suum aequasse. Praefectus respondet: nihil sibi licere, nisi ut procuratoris clementiae ipsum commendet; quid eo proficeretur, expectet. Quo facto Mercurialis cum nautis ad illos vinciendos mittitur. Interim postremi tres quoque accedunt, re satis perspecta victoribus resistere non audent, seque vinciri patiuntur.

Jam praefectus quoque cum Robinsone, qui procuratoris legatus putabatur, accessit, ille autem de captivis elegit, quos sperabat delicti poenitentiam veram acturos esse. Hi ad arcem, ceteri ad speluncam ducuntur. Ex iis, qui in antrum antea conjecti erant, duos etiam adduci jussit, quoniam de iis spem fovebat, fore, ut istos quoque sceleris commissi poeniteret. Quomodo autem cum istis egerit, et quae postea acciderint, in crastinum vobis, o mei, narranda differam!

VESPERA TRICESIMA.

Agite, o mei, Robinsonis nostri fortuna ad eventum festinat! Aliquot horis elapsis sors illius jacta erit; tunc apparebit, utrum denuo omni spe liberationis erepta in insula sua permansurus, an voto ardentissimo parentum revisendorum unquam potiturus sit? In eo scilicet res vertitur, ut praefectus nautarum in gratiam receptorum auxilio navem recuperet. Quodsi huic successerit, amici nostri calamitates finitae erunt; sin minus cuncta in pristinum statum relabentur, neque ulla spes libertatis recuperandae illi supererit.

Quibus culpa remissa erat, ante arcem congregati decem numero erant. Robinson procuratoris nomine iis significat, hac conditione illos delicti veniam impetraturos, ut praefectum legitimum in recuperanda navi adjuvent. Quod cum universi magna cum religione affirmassent, Robinson addit, illos non suam tantummodo sed captivorum etiam sociorum salutem hoc conservaturos esse, quippe qui crastino mane omnes ac singuli ad mortem ducendi essent, nisi navis antea ab ipsis expugnaretur. Quae sententia captivis etiam nuntiata est. Tum utrique, captivi et liberi, conjunguntur, ut horum fides ab illis confirmetur. Interim fabro lignario alterius scaphae carina perforata reficienda mandatur; quo facto scapha utraque quam velocissime in aquam deducitur. Tum altera praefecto, altera gubernatori ducenda traditur, copiis inter eos divisis. Cunctis apparatu bellico instructis, postquam Robinson praefectum amplexus, eique omnia fausta apprecatus fuerat, illi vela ventis dedere.

Nicol.

Nicol. Equidem miror, Robinsonem remansisse!

Pat. Non timiditate, sed prudentia ductus, care Nicolae, ille remansit. Scilicet fieri poterat, ut captivi vi adhibita ipso absente arcem expugnare conarentur; quod quidem propugnaculum, quo insuper cuncta vitae bene beateque vivendae praesidia ipsi continebantur, majoris pretii noster aestimavit, quam quod temere in discrimen venire pateretur. Igitur praefectus ipse ei suaserat, ut cum Mercuriali suo ad illud defendendum remaneret. Robinson, qui ex eventu hujus incepti fortunam suam pendere intelligebat, tantam animi perturbationem, atque angorem sensit, ut nullo in loco quiescere posset. Nunc in spelunca considet, nunc in vallum revertitur, nunc scalam sparteam conscendit, e collis cacumine per noctis silentia auscultaturus, an de nave aliquid audiri posset. Quanquam ille hodie nihil adhuc ciborum sumserat, nullum tamen eorum appetitum sensit. Subinde animi perturbatio apud eum augetur, quoniam eventus secundi signum inter eos constitutum, triplex scilicet tormenti explosio, nondum audita erat, etsi media nocte ingruente. Attamen opportune meminit praecepti, quod ipse non ita pridem Mercuriali dederat; quo ille nunc admonitus est, se sine idonea causa timori, atque spei animum perturbandum tradere. In rebus dubiis, sic illi Robinson suasit, ad sinistros eventus animum praeparato! Qui si non acciderint, lucri hoc facies; sin autem, te paratum invenient, neque te repentino impetu opprimient. Hoc ex praecepto Robinson sinistrum incepti eventum certissimum putat, animumque summa in deo confidentia confirmare studet, ad hanc quoque fortunae injuriam constanter ferendam. Omni vero spe penitus abjecta, subito

tormenti ſonitus e longinquo auditus eſt. Robinſon ſe corripit, ejus inſtar, qui ſono repentino e ſomno excitatur. Puf! ſecunda exploſio auditur; Puf! tertia quoque! Nunc amplius dubitare nequit navem expugnatam, ſuamque liberationem propinquam eſſe.

Tum incredibili laetitia abreptus per ſcalam ſparteam devolat, Mercurialem in ceſpite vivo recubantem amplectitur, eumque lacrymis perfundit vocis plane impos. „Quidnam tibi accidit, domine cariſſime?“ Mercurialis eum interrogat, dum penitus expergeſit, atque vehementibus domini blanditiis perterritus plane videtur. Robinſon autem prae laetitia incredibili nihil eloqui poteſt, niſi: *Tandem*, Mercurialis! „Deus incolumem praeſtet miſeri domini mentem, ille cogitat, exiſtimans ſcilicet, eum e poteſtate ſui exiiſſe.“ Ad lectum te confer, optime domine, „ſic eum appellat, brachioque illum amplexurus, atque in ſpeluncam ducturus erat. Robinſon autem blandiſſimo vultu eum aſpicit, ſimulque ei reſpondens: ad lectumne, bone Mercurialis? Mene ad lectum, nunc ut dormiam, cum deus optimus maximus ardentiſſimo voto me damnat? Nonne triplicem tormenti exploſionem audiviſti? Nonne etiam cognoviſti, navem expugnatam eſſe? Tum Mercurialis oculi aperti ſunt. Quin ipſe laetari incipit, levius tamen, neque ob ſuam ipſius, ſed domini potius boni conditionem. Etſi enim jucundum illi videbatur, cum Robinſone et patre eas in regiones proficiſci, e quibus tot miranda jam viderat, ubi etiam plura ſe inventurum ſperabat: tamen hanc ſuam voluptatem imminui ſenſit, cum neceſſitatem coeli patrii in perpetuum relinquendi cogitaviſſet.

Robin-

Robinsonis animus, laetitia quippe exultans, nunquam tantopere perturbatus fuerat. Nunc ille collem conscendit, atque sub coelo stellis distincto in genua prostratus deo pro libertate reddita gratias agit; nunc vero descendit. Mercurialem suum amplectitur, nihil, nisi Hamburgum crepat, sarcinasque colligere incipit. Sic tota nox ei processit, neque illi unquam in mentem venit, ut ad quietem se componeret. Die exorto oculis perpetuo eam in regionem, ubi navis in anchoris haesit, conversis, non sine aegritudine lucem diei plenam expectat, ut libertatis suae vindicem, navem scilicet, oculis suis cernat. Exoptatum illud tempus venit; eheu! vero — quam ille exterritus est, cum vidisset — navem sine ullo dubio evanuisse! Alta voce exclamat, atque in terram prolabitur! Mercurialis accurrens diu rescifcere non potuit, quidnam domino acciderit? Tandem manu trepidante ad mare extensa hic vocem languentem, et moribundam emisit: *Ecce!* Tum ille oculis eo conjectis statim intellexit, quidnam dominus pateretur? —

(Jam liberi ancipites dubiique haeserunt. Scilicet Robinsonis historiam nunc etiam continuatum iri, non sine laetitia intellexerunt; misericordia autem de nova ejus calamitate commoti hujus laetitiae impetum coercuerunt. Itaque cuncti altum silentium tenuerunt, donec pater ita perrexit.)

E Robinsonis exemplo nunc intelligitis, quantopere hominibus, vel satis probis iis atque virtutis studiosis, cavendum sit, ne nimiis animi perturbationibus abripiantur. Quod si ille enim laetitiae modum antea non excessisset, nunc quoque fortunam adversam aequiori animo tulisset. Nisi vero tristitia nunc mens ejus obnubilata penitus fuisset,

ille profecto agnovisset, hanc quoque calamitatem a deo profectam animo pio atque constanti tolerandam sibi esse, quantumvis dulcissima spe per illam erepta. Inprimis ille cogitavisset, divinam providentiam tunc quoque salutis nostrae conservandae invenire consilia, cum nosmet ipsi de ea recuperanda desperemus; quod quidem animi tranquillitatem illi reddidisset. Agnoscite, o mei, quantum operae vel probis hominibus ad virtutem confirmandam nunquam non supersit!

Interea dum Robinson desperabundus jacet, Mercurialisque eum confirmare studet, in altera collis parte strepitus subito auditur, velut turbae accedentis. Jam illi exsiliunt, oculisque eo conjectis laeti stupent, cum praefectum navis nonnullis ipsum comitantibus collem conscendere vidissent. Robinson uno impetu in amplexus ejus provolat. Respiciens quoque navem in orae occidentalis sinu in ancoris haerentem vidit, omnemque tristitiam subito abjecit. Scilicet ex eo statim intellexit, praefectum ante diei ortum navem e statione priori eam in insulae regionem deduxisse, ubi tuto portui illa committeretur. Jam noster diu in amplexibus praefecti, non minori gaudio perfusi, mutus laetissimusque haesit, donec ad mutuas gratulationes, animique grati testificationes perventum est. Tum praefectus narrat, se quam felicissime nave potitum esse, adeo ut nemo vulneratus aut interfectus sit; noctis tenebras enim effecisse, ut nec ipse prodirus, nec comites prohibiti sint, quin in navem reciperentur. Pessimos seditionis auctores postea armis captis, sibi resistere quidem conatos fuisse; frustra tamen; captos illos in vincula conjectos esse. „His dictis gratum erga liberatorem animum testificari enixe studet.“ Tu vero lacrymis ait obortis, tu,

vir egregie, misericordia, atque consilio tuo me, navemque meam servasti. En istam! Tua est; nunc illam, meque ipsum in potestatem tuam trado! „Tum cibos quosdam delicatos e navi adductos afferri jubet, omnesque jucundo jentaculo egregie animum laetum recreaverunt."

Robinson interim praefecto mirandos casus suos narrat, quo illius admiratio saepius excitata fuit. Quo facto praefectus Robinsonem rogavit, quidnam nunc sibi faciendum mandaret, quo ipsi gratificaretur. Ei Robinson respondet: praeter istas, quas heri tibi statui, auxilii mei conditiones, tria sunt, quae te rogabo. Primum quidem a te peto, ut hic commoreris, donec pater boni Mercurialis mei cum Hispanis redierit, tum, ut praeter me, meosque, Hispanos etiam universos excipias, primumque Gades tendas ad eos ibi exponendos. Denique te oro, ut seditionis auctoribus primariis vitam dones, eosque nulla alia poena afficias, nisi ut in hac insula relinquantur; certissime enim scio, hac poena illos sine dubio emendatum iri. Praefectus haec cuncta religiosissime se exsequuturum pollicetur; captivos adduci jubet, pessimos eorum eligit, iisque poenam debitam nunciat. Qui magnopere hac laetati sunt, non ignorantes quippe, se crimen capitale commisisse. Robinson humaniter eos victus necessarii quaerendi rationem docet, illisque se omnes copias suas relicturum promittit. Tum eos ad pietatem, industriam, concordiamque sequendam exhortatur, affirmans, has virtutes vitam ipsorum in insula ista perjucundam esse reddituras.

Dum noster etiam loquitur, Mercurialis anhelans accurrit, laetissimusque nunciat, patrem cum Hispanis advenisse, statimque appulsurum esse.

Cun-

Cuncti igitur illis obviam ire instituunt; ante omnes Mercurialis in amplexibus patris jam haesit, cum ceteri advenirent. Robinson non sine magna admiratione duas feminas inter istos, qui advenerant, conspexit; Martialis autem interrogatus, uxores duorum Hispanorum, de barbaris indigenis electas, esse respondet. Qui quidem, ut acceperant, Robinsonem profecturum, nonnullosque remiges in insula relicturum esse, eum rogaverunt, ut sibi quoque liceret in ea remanere; se enim jucundiorem locum ista non optare, tantopere illam ab aliis praedicari audiverant. Quas preces Robinson cum voluptate quadam audivit, atque lubenter iis concessit. Inprimis autem ille laetatus est, quod duos viros hic relinqueret, quorum probitatem universi testati fuerant; sperabat enim, fore, ut eorum opera ceteri homines perditi ad meliorem frugem reducerentur. Hac mente ceteros omnes eorum potestati subjicere constituit. Scilicet universos arcessi jubet, ad voluntatem suam illis declarandam. Sex Angli fuerunt, duo Hispani cum uxoribus. Quos Robinson sic alloquutus est:

„Neminem fore spero, qui mihi jus neget, rebus meis — hoc est; insula ista cum omnibus, quae in ea sunt — pro arbitrio meo utendi. Opto autem, ut omnium vestrum, qui hic remansuri estis, conditio quam beatissima sit. Quem ad finem obtinendum idoneis institutis vobis opus, meum vero est, ea facere. Itaque vobis edico, ambo hos Hispanos in posterum meam vicem sustenturos, legitimosque insulae dominos fore. Vestrum autem est, illis obedientiam diligentissimam praestare. Soli illi in arce mea habitabunt; solis illis sclopeta, apparatum bellicum, atque instrumenta cuncta asservanda trado; hac tamen lege, ut isti vobis e co-

piis illis praebeant, quantum opus fuerit, vos autem vitam honestam, atque pacificam agatis. Periculis forte imminentibus conjunctis viribus estote; in operibus autem faciendis, seu in agris, seu in horto, cuncti illa faciunto, messemque inde collectam dividunto. Fieri potest, ut copia mihi aliquando detur conditionis vestrae revisendae, aut, ut ipse aliquando huc redire constituam, vitae, quod mihi reliquum est, in hac insula mihi percara consumturus. Vae illi, qui interea institutis meis obedientiam debitam negaverit! Scaphulae sine ulla misericordia eum imposituri, atque tempestate oborta in oceanum conjecturi essemus! „His auditis universi Robinsonis instituta magnopere laudant, obedientiamque fidelissimam pollicentur.

Tum noster eas res elegit, quas secum avecturus erat, ut illae in navem transportarentur. Scilicet 1) Vestem pelliceam a se ipso confectam, cum umbella et larva, 2) Hastam proprio marte perfectam, arcumque, securimque lapideam. 3) Polum, canem villosum, lamasque duas. 4) Varia instrumenta, variamque supellectilem a se solo confectam; 5) Grana demum aurea, adamantes, massamque suam auream, elegit.

Cunctis his in navem transportatis, ventoque secundo oborto, proximo die proficisci constituunt. Tum Robinson et Mercurialis epulas ad praefectum colonosque remanentes ante abitum exhilarandos parant. Lautissima quaeque e copiis eorum promuntur, cibi vero adeo delicati erant, ut praefectus Robinsonis artem eorum apparandorum satis mirari non posset. Quo facto magnam copiam ciborum, pulveris nitrati, ferri, atque instrumentorum e nave afferri jussit, eamque colonis dono dedit,

dit,

dit, hospitis magnanimi exemplo eorum conditionem laetiorem his muneribus redditurus.

Sub vesperem Robinson amicos rogavit, ut se solum relinquerent; nonnulla enim negotia satis gravia ante abitum sibi curanda superesse. Igitur omnes ab eo secedunt; ille vero in collem ascendit, cum vitae suae in hac insula actae vicissitudines postremum animo repetiturus, tum gratias pias supplicesque deo optimo maximo acturus. Verbis autem ejus pietatis ardorem exprimere equidem non valeo; quicunque vero animum ejus similem gerit, descriptione mea non egebit, quin e suo ipsius sensu judicare poterit.

Jam proficiscendi tempus aderat. Robinson lacrymans eos, qui remansuri erant, ad concordiam, industriam, pietatem sequendam denuo exhortatus, dei optimi maximi tutelae enixe illos commendat, qui quidem ipsius rebus hucusque sapientissime prospexerat. Quo facto postremum circumspicit, deoque cum pro conservatione mirabili, tum pro liberatione praesenti, gratias agit; tum voce languida remanentibus ultimum vale acclamat, ac Mercuriali, Martialique comitibus navem conscendit.

Nonn. Eheu! Jam ad finem perventum est!

Joh. Expectate, quaeso! Fieri enim potest, ut nova illis obstacula oriantur!

Pat. Ventus tam secundus fuit, ut insula e conspectu ipsorum avolare videretur. Quousque autem conspici etiam potuit, Robinson mutus, tristisque in stega haesit, oculis in regionem istam dilectam defixis, quam decem annorum spatium in ea transactum, variaeque molestiae in ea exantlatae

tae carissimam illi reddiderant. Tandem cum ultimum etiam montis cacumen oculis ipsius subductum esset, ad coelum suspiciens, tacitus apud se carmen praeclarum: *Jam universi deo gratias agite!* repetiit; quo facto cum Martiali, et Mercuriali in cubiculum praefecti se contulit, ad animum moerentem amicis confabulationibus levandum.

Iter eorum faustissimum fuit. Viginti quatuor dierum spatio Gades pervenerunt, ibique Hispanos adductos exposuerunt. Robinson ipse in terram escendit, mercatorem, cujus grana aurea ille servaverat, quaesiturus. Quo invento magna cum laetitia intellexit, virum istum probum beneficio suo magna calamitate liberari. Scilicet nave amissa ille alieno aere oppressus fuerat. Nunc autem sacculus granorum aureorum affatim debitis solvendis suffecit. Quod iis superfuit, gratus ille benefactori suo donare cum vellet, hic quidem donum oblatum recusavit, dicens, se satis amplam mercedem ex eo referre, quod viri probi calamitatem auxilio suo impediverit. Quibus peractis ad Angliam vela facere illi pergunt. Quo in itinere tristi casu oppressi sunt. Senex Martialis in morbum repentinum incidit, atque mortuus est, quanquam omni cura ad eum reficiendum adhibita. In eo facile intelligetis, quo animo Mercurialis hunc casum tulerit? Lamae quoque, itineris maritimi impatientes, mortem obierunt.

Interim navis incolumis ad Portsmuthiam, portum Angliae notissimum appulsa est. Hic Robinson viduam praefecti militum, cui adamantes redderet, invenire speravit. Neque illam non invenit, summa

ma vero calamitate oppressam. Scilicet illa cum liberis sensim ad summam miseriam redacta fuerat, quoniam duorum annorum spatio a marito in India Orientali degente nihil plane auxilii ad vitam sustentandam acceperat. Corpora illorum vix etiam pannis obsoletis involuta erant, ora fame, et miseria mortuorum instar pallebant. Hic Robinson iterum ea voluptate beatus est, quam optimus quisque tum percipere solet, cum ad aliorum miseriam sublevandam a numinis providentia adhibetur. Adamantibus redditis, familiam istam languescentem atque fame confectam, plantae marcescentis, atque pluvia benigna aestiva refectae instar, brevi reviviscere, tantaque felicitate frui videt, quantam se recuperaturos esse, jam diu desperaverant.

Cum vero navem opportune hic deprehenderet Hamburgum tendentem, a praefecto, quem hucusque secutus fuerat, discessit, atque Mercuriali comite illam conscendit; quae tum brevi ancoras solvit. Hic quoque cursus faustissimus, velocissimusque fuit. Jam insulam sanctam conspiciunt, jam dilecta Robinsonis patria e longinquo cernitur, cujus aspectu Robinson summa laetitia perfusus est; jam in ostium Albis penetrant, cum subito saeva tempestas orta navem incredibili vi ad oram conjecit. Tum nihil intentatum relinquunt, quo navis convertatur, atque in altum reducatur; frustra tamen, vehemens venti impetus omnes conatus irritos reddidit, navemque abreptam tam vehementer in pulvinum egit, ut carina disrumperetur. Extemplo aquae ingens vis in eam irruit, adeo ut de illa conservanda omnes desperarent; navigantibus vix copia vitae scaphis conscensis servandae datur. Sic igitur Robinson denuo

nuo naufragio facto miser, in portum propinquum advenit, neque de universis divitiis, praeter canem fidelem, qui eum secutus erat, polumque in humero illius, dum navis frangitur, commodum sedentem, quicquam servavit. Nonnullis post diebus accepit, in copiis navis fractae servatis umbellam vestemque pelliceam a se ipso confectam fuisse inventas. Quas ille pecunia legitima littoris domino numerata recepit; auri vero magnum illud pondus undis obrutum jacuit.

Joh. O! miserum Robinsonem!

Pat. Easdem nunc fere divitias possidet, quas Hamburgo profectus habuit. Propterea autem divina providentia, ut ille omnia denuo amitteret, curasse videtur, ne ejus divitiis juvenum leviorum animi impellerentur, ad ejus exemplum imitandum, itineraque temere facienda, ut scilicet thesauris ejus instar ditati redirent. Ipse quidem de jactura ista minime conquestus est. Cum enim vitam futuram eadem industria, atque temperantia agere constituisset, qua in insula sua usus erat, auro facile carere potuit.

Jam navi Hamburgum profectus est. Cum ad Stadam usque perventum est, turribus urbis patriae conspectis lacrymas laetabundus effudit. Quatuor horarum spatio illam assequi, atque in patris carissimi amplexibus haerere poterat. Matris optimae obitum in proximo jam portu sibi nunciatum per aliquot dies acerbe luxerat. Jam navis altis undis secundoque ventu propulsa volat; brevi igitur loca vicina praetervectus in portu Hamburgico advenit. Robinsonis cor laetitia exultat, e

 navi

navi ille prosilit, solum patrium osculaturus, nisi spectatorum causa animum cohibuisset. Per quorum turbam ille festinans in xenodocheum proximum se contulit. Inde nuncio ad patrem misso, sensim eum ad filium revisendum praeparari jussit. Qui quidem primum illi dixit, advenisse, qui laeta de filio nuntiaret, tum, filium ipsum in eo esse, ut Hamburgum rediret, tandem, illum, qui laetum hunc nuncium afferret, filium ipsum esse. Quam cautionem nisi Robinson adhibuisset, pater nimia laetitia perturbatus mortem sine dubio obiisset. Jam filius ipse per plateas satis etiam sibi cognitas ad domum patriam provolat, eamque assequutus incredibili laetitia perfusus in patris gaudio trepidantis amplexus ruit. *O mi pater!* — *O mi fili!* Haec tantum ambo eloqui potuerunt. Muti, trepidi, spirituque occluso, alter in collo alterius pendet; donec lacrymarum copia benigna animum oppressum levavit.

Interea Mercurialis innumeras res mirandas stupet, quae ejus oculis nunc objectae sunt. Neque earum aspectu satiari potuit, diemque primum integrum attonitus egit. Tum rumor de Robinsonis adventu, casibusque mirabilibus per urbem cucurrit. Cuncti nihil nisi Robinsonem loquuntur; cuncti eum videre cupiunt: cuncti ejus historiam mirabilem ex ipsius ore accipere gestiunt. Patris itaque domus brevi concionis publicae speciem refert; Robinson a mane usque ad vesperam narrare cogitur. In quo ille saepius patribus, matribusque acclamavit: *Si vere liberos vestros amatis, o parentes, mature illos pietati, temperantiae, atque industriae assuefacite!* Quodsi vero pueri, aut puellae aderant, aureo hoc praecepto illos nunquam non excitavit:

Obe-

Obedientiam, o boni, parentibus, magistrisque praestate; diligenter, quaecunque discendi copiam inveneritis, discite; deum ingenuo timore colite; desidiam o mei, desidiam ex animo fugite, quae vitiorum fons uberrimus est!

Pater Robinsonis institor erat; propterea ille optavit, ut filius in eodem negotio exerceretur, quo mortuo sibi succederet. Robinson vero, qui per plures annos continuos operibus manu faciendis non sine voluptate assueverat, patrem rogavit, ut sibi liceret, scriniariorum artem discere; quod pater ei liberum reliquit. Itaque cum Mercuriali scriniarii cujusdam disciplinae se tradidit, atque spatio annuo vix elapso uterque magistri artem tam probe didicerat, ut ipsi magistrorum dignitatem adipiscerentur. Quo facto officina communi instituta; quoad vixerunt, amicitiam, atque societatem haud dissolvendam servaverunt. Tantopere autem industriae, et temperantiae consuetudinem duxerant, ut ne dimidiam quidem diei partem otio aut luxuria consumere possent. Ut autem vitae pristinae solitariae memoriam conservarent, cujusvis hebdomadis diem unum constituerunt, quo genus vitae ante actum, quantum ejus fieri posset, renovarent. Adeo autem concordiae; indulgentiae erga alios, humanitati etiam, illi assueverant, ut, quomodo sine illis vitam agere posses, plane non intelligerent. Inprimis vero, ingenuam veramque pietatem prae se tulerunt. Quoties nomen dei optimi maximi eloquuti sunt, gaudium [redacted] vultus eorum exhilaravit; horrore autem perfundi solebant, cum forte nomen illud augustum et sanctum ab aliis cum levitate, et temeritate pronunciari audivissent. Divina quoque providentia omnes eorum conatus

auspicatissimos esse jussit. Perpetua tranquillitate, sanitate, industriaque beati multum senectute provecti sunt, neque unquam posteri desinent memoriam duumvirorum istorum colere, qui alios homines rationem felicitatis, cum in hac, tum in futura vita, consequendae egregie docuerunt.

Hic pater conticuit. Parvuli aliquantulum temporis meditabundi haeserunt; donec omnes honesto constantique consilio Robinsonem imitari apud se statuerunt.

Errata.

P. 6. Z. 4. von unten *ille* wird gelesen illa.
P. 289. Z. 6. von oben *Desilimus* wird gelesen desiluimus.

Jenae, litteris Joh. Mich. *Mauke* typographi.

INDEX

INDEX ROBINSONIANUS.

A.

Aberrare abirren, sich verirren, daher auch unversehens abkommen.
Abesse entfernt seyn; parum, non multum abfuit; quin hoc fieret, es fehlte wenig daran, daß das geschahe.
Abhorrere ab aliqua re, seltner aliquid, etwas verabscheuen, mißbilligen, von etwas entfernt seyn.
Abjicere (cio, jeci, jectum) wegwerfen, animum den Muth verlieren, daher abjectus, der den Muth verlohren hat, verzagt.
Ablegare abschicken, entfernen.
Abradere (si, sum) wegkratzen, auch abscheeren.
Abripere (pio, pui, reptum) wegreißen, mit Gewalt oder Schnelligkeit wegführen, se a. sich schnell entfernen; ira, odio abripi, vom Zorn, Haß u. s. w. hingerissen werden.
Abrogare etwas aufheben oder abschaffen, besonders von Gesetzen und öffentlichen Urkunden, auch alicui aliquid einem etwas entziehen.
Abruptus (von abrumpere) abgerissen, abschüssig, steil, auch abgebrochen, sermo abruptus eine abgebrochne Rede.
Absolvere (vi, lutum) losmachen, befreyen, zu Ende bringen.
Abundare aliqua re, einen Ueberfluß an etwas haben.
Abunde überflüßig.
Abuti (or, usus sum) aliqua re, eine Sache mißbrauchen.
Accessus et recessus maris die Ebbe u. Fluth, item;

item: mare accedens et recedens.
Accitus herzu gerufen, heran gehohlt, von accire.
Acies oculorum, die Schärfe, der Blick des Auges.
Accingere (nxi, ctum) gürten, fertig machen, se ad aliquid, oder accingi ad aliquid u. alicui sich wozu bereit machen.
Acclamare zurufen.
Acclinare anlehnen, hinbeugen zu etwas, ad u. in aliquid, oder auch alicui.
Acquisitus (von acquirere) erworben.
Aculeus ein Stachel, aculeatus stachlicht.
Acus us, die Nadel, rem acu tangere sprichwörtlich eine Sache sehr genau treffen.
Adamas ein Diamant.
Addicere zusagen, bewilligen, übergeben, daher abd. se alicui rei sich einer Sache wiedmen.
Adeps ipis, das Fett.
Adhibere, (ui, itum,) hinhalten, hinwenden, verschaffen, anwenden, von Personen aliquem adh. jemand zu etwas nehmen u. gebrauchen, auch behandeln.
Adjicere (cio, jeci, jectum) dazu werfen, hinwerfen, daher bildlich adj. animum alicui rei woran denken, sich womit beschäftigen.
Adimere (imo, emi, emtum) einem etwas nehmen, benehmen.
Adipisci (adeptus sum) erlangen, erreichen.
Adjungere (go, xi, nctum) hinzufügen, mit ad oder dem Dativo, a. se alicui, sich zu jemand gesellen.
Admiscere (miscui, mixtum) dazu mischen, vermischen.
Admovere (veo, vi, motum) hinzubringen, hinhalten, z. E. manus alicui rei admovere, die Hände an etwas legen; alicui aliquid einem etwas verursachen, in ihm erregen, z. E. terrorem, metum etc.
Adolescere (evi, ultum) aufwachsen.
Adorare reden zu jemand, daher bitten, auf eine feyerliche Art verehren.

Ado-

Adoriri (ortus sum) herzugehen zu jemanden oder etwas, daher sich an jemanden oder etwas machen, angreifen, anfallen.

Adstrictus (von adstringere) scharf angezogen, zusammengezogen, gebunden an etwas, verbunden d. i. verpflichtet, obedientia adstr. durch Gehorsam verpflichtet.

Adultus erwachsen.

Adumbrare beschatten, entwerfen, vorstellen, nachahmen.

Adustus angebrannt, von adurere.

Adversus widrig, adversa fortuna uti unglücklich seyn; ex adverso von der entgegengesetzten Seite.

Advertere (ti, sum) hinkehren, hinlenken, animum ad aliquid, seine Gedanken worauf richten.

Aegre ferre aliquid etwas übel nehmen.

Aequalis der mit einem von gleichem Alter ist, oder zugleich lebt, überhaupt gleich.

Aequinoctium die Zeit, wenn Tag und Nacht gleich sind.

Aes alienum fremdes Geld, Schulden; aere alieno opprimi von Schulden gedrückt werden.

Aestimare schätzen, taxiren, achten, beurtheilen, magni, plurimi, minoris aestimare aliquem, einen hoch, sehr hoch, geringer achten.

Aestuare heiß seyn, brausen, bildlich von Menschen, die in einem leidenschaftlichen Zustande, oder auch verlegen, hin u. her schwankend u. unentschlossen sind.

Affectare aliquid, sich an etwas machen, wornach trachten, durch mühsame Nachahmung sich etwas zu erwerben suchen, (affectiren.)

Afficere (cio, eci, ectum) hinzufügen, aliquem honore, praemiis etc. aff. einem Ehre, Belohnungen u. s. w. ertheilen, eben so laetitia, moerore aff. einem Freude oder Betrübniß verursachen, poe-

poema a. bestrafen; vom Gemüthe, rühren, bewegen, affectus daher gerührt, oder auch gesinnt.

Afflare (flo, avi) anwehen, anhauchen.

Affligere (xi, ctum) anschlagen, daher hart niederreißen, in schlechte Umstände setzen, erniedrigen; homo afflictus ein sehr herabgesetzter, gedemüthigter Mensch, oder auch der muthloß und verzagt ist; res afflictae u. afflictio der Zustand eines solchen Menschen.

Agere remos Zweige hervortreiben, viam, fossam agere, einen Weg, Graben machen.

Agitur mecum bene (male) es geht mit wohl (übel); actum est de me, es ist um mich geschehen.

Agitare in Bewegung setzen, treiben, beschäftigen, mente aliquid, worüber nachdenken.

Aggredi (dior, gressus sum) hinzugehen, angreifen, anfangen.

Agnoscere (gnovi, gnitum) erkennen, wieder erkennen, eingestehen, wahrnehmen.

Ajo ich sage, bejahe; ain tu (aisne tu?) ist das wahr was du sagst? Meynst du es nicht auch so?

Alacer, cris, cre, frisch, munter, thätig.

Albicare weiß seyn.

Alea ein Würfelspiel, jacere al. die Würfel werfen, d. i. ohne Bild, eine bedenkliche Sache zu wagen anfangen.

Alienatus entfremdet, getrennt, entfernt.

Allicere (cio, exi, ectum) locken, reizen.

Allidere (si, sum) mit Gewalt anstoßen.

Alligare anbinden, verbinden, verpflichten.

Alluere (ui) bespühlen, hinan fließen.

Almus a, um, nährend, hold, gütig.

Alternus, a, um, wechselnd, alternae vices der Wechsel eines mit dem andern.

Alteruter, tra, trum, einer von beyden.

Alutarius der Weißgerber.

Amabo, ei, lieber!

Ambages Umwege; ambages

Wege iterare oftmahls Umwege machen.

Amens ohne Verstand, unsinnig.

Amplecti (xus sum) umfassen, (genua) religionem ergreifen, lieben, billigen.

Anceps zweiköpfigt, zweischneidig, doppelt, periculum anceps eine zwiefache Gefahr; anceps quaestio eine zweideutige, oder auch schwer zu entscheidende Frage; anceps consilii unschlüssig.

Anchora der Anker; anchoras solvere die Anker lichten, d. i. aufheben; in anchoris haerere vor Anker liegen.

Anhelare schnauben, keichen.

Animatus belebt, muthig gemacht, gesinnt.

Animi causa zum Vergnügen; ex animo von Herzen.

Annuere (ui, utum) zuwinken, Beyfall geben; animus meus annuit quaestionibus; ich bejahe die Fragen.

Anteire aliquem aliquare, einen in einer Sache übertreffen.

Anterior der Vordere.

Antiquus alt, ehrwürdig, wichtig.

Antlia (griech. Ursprungs) ein Zieh-Eimer, eine Pumpe.

Apage weg, fort! ein Ausdruck des Unwillens.

Apparere sichtbar seyn, erscheinen, gewiß und einleuchtend seyn.

Appellere (navem) terrae, vel ad terram, auch appelli, irgendwo landen.

Appendere anhängen.

Applicare, (avi u. ui, atum u. itum) anfügen, hinzufügen, wohin wenden oder richten, se aut animum ad aliquid applicare, seine Neigung auf etwas richten.

Apprecari bethen zu jemand, auch feierlich anwünschen.

Apprime vorzüglich.

Appropinquare heran nahen, sich nähern.

Aptare anpassen, zubereiten.

Arare pflügen.

Arbitrium Willkühr, freye Meynung; arb. alicujus rei sibi arrogare, die

die Entscheidung einer Sache sich anmaßen.

Arcere (cui, citum, ctum) einschließen, einschränken, abhalten.

Arcessere (ivi, itum) herzukommen lassen, herhohlen.

Architectus ein Baumeister.

Arefieri (factus sum) trocken werden.

Argillacea terra, Thon Erde.

Arguere (ui, utum) zeigen, anzeigen, beschuldigen, verrathen.

Arrectus, a, um, aufgerichtet; arrecti crines, vor Verwunderung starrende Haare.

Arridere (si, sum) dazu lachen, anlachen; hoc mihi arridet, das lacht mich an, gefällt mir.

Arrogare, zueignen, zuschreiben, anmaßen.

Arteriae, die Pulsadern.

Arundineus von Rohr (tectum arundineum) ein Rohrdach.

Asellus ein kleiner Esel.

Assare braten.

Assecla, ae, ein Nachfolger, Anhänger.

Assentiri (sensus sum) beystimmen.

Assiduitas die Emsigkeit, der mühvolle Fleiß.

Assuefacere aliquem ad aliquid, oder alicui, einen wozu gewöhnen; assuefieri u. assuescere, gewohnt werden an etwas, sich an etwas gewöhnen.

Asteriscus ein Sternlein, Kreuz (schriftl. Merkmahl.)

Atterere (trivi, tritum) reiben, abreiben, schwächen u. vermindern.

Attonitus (von attono) vom Donner gerührt, betäubt, bestürzt, sinnlos.

Auctorem esse alicui alicujus rei, einem wozu rathen.

Aufugere (ugi, ugitum) entfliehen.

Augeri viribus an Kräften wachsen.

Augurari prophezeyen, vorher ahnden.

Aulaea orum, Tapeten.

Aureus ein Goldstück.

Auspex ein Vogeldeuter; deo auspice, mit Gottes Hülfe.

Auspicatus von glücklicher Ahndung; auspicatum aliquid esse jubere, etwas glück-

lich

lich seyn lassen, segnen.
Auscultare, hören.
Avere nach etwas begierig seyn, sich wohl befinden.
Avehere (xi, ctum) wegführen.
Aversari verabscheuen.
Avertere (ti, sum) abwenden, oculos ab aliqua re avertere, die Augen von einem Gegenstande abwenden.
Avolare wegfliegen.

B.

Bajulare Last tragen.
Balare blöken.
Balaena ein Wallfisch; testa balaenarum, Fischbein.
Beare aliquem aliqua re, einen womit beglücken.
Bergedorfiensia arva die Vierlande, eine Gegend bey Hamburg.
Betula die Birke.
Bitumen eine fette Erde, Harz.
Bona verba, bewahre Gott!
Botulus eine Bratwurst.
Bubulus von Rindern, caro bubula, Rindfleisch.
Bucca der Backen, der Mund; plena bucca flare, mit vollen Backen blasen.
Bulbus solanorum, die Wurzel der Kartoffelstaude.
Bullire Blasen werfen, brausen.

C.

Cacabus eine Pfanne.
Cacaoticus von Cacao; potus cacaoticus, Chocolade.
Cacuminatus (von cacumen) gipflicht.
Caecutire blind seyn.
Caedere (cecidi, caesum) hauen, abhauen, fällen, schlagen.
Caelum ein Meißel.
Caementarius ein Maurer.
Caeruleus meerfarbig, bläulich.
Calefacere warm machen, erwärmen.
Calesius von Calais in Frankreich; fretum Calesium, die Meerenge von Calais.
Caliga ein Halbstiefel.
Callere (ui) dicke Haut oder Schwielen von Schlägen oder Arbeit haben, daher unempfindlich seyn — Erfahrung

fahrung worin haben, wissen, verstehen, cum Accusativo et Ablativo.

Calo onis, ein Küchenjunge.

Calx macerata gelöschter Kalk.

Canalis metallicus, ein Stolle in Bergwerken.

Candere weiß seyn, schimmern, glänzen.

Candor animi die Aufrichtigkeit.

Canna ae, Rohr, Schilf.

Cannabus conglutinatus, zusammen geleimter Hanf.

Cantharidumemplastrum ein Pflaster von Spanischen Fliegen.

Capessere ergreifen, anfassen, etwas verrichten, fugam c. die Flucht ergreifen.

Capsula ein Kästchen.

Carbasus i, das Segeltuch.

Cardomomum Cardemonen, eine Art Gewürze.

Carmen die Hechel; carminare hecheln.

Caro bubula fumo condita geräuchertes Rindfleisch.

Carpentum ein Fahrzeug, Wagen.

Caryophyllum die Nelke, aromaticum die Gewürznelke.

Catarracta ein Wolkenbruch.

Catenula eine kleine Kette, der Kettenstich beym Nähen.

Catinus ein Tiegel.

Cedere (ssi, ssum) gehen, weichen, gereichen, hoc ex voto, in utilitatem cedit, das geht nach Wunsch, gereicht zu meinem Nutzen.

Celebrare etwas häufig thun, ausbreiten, rühmen, feyern.

Celox ein Jagdschiff, Rennschiff.

Centies tausendmahl.

Cercopithecus ein geschwänzter Affe.

Cerdo ein Gerber.

Certiorem fieri de aliqua re, von einer Sache benachrichtigt werden.

Cespes itis, vivus der grüne Rasen.

Cessare aufhören; ager cessat, der Acker liegt brach.

Chalybeus, von chalybs. stählern.

Chirotheca der Handschuh.

Chorda die Sayte.
Chorum agere, einen Tanz halten.
Chorus bellicus, ein Kriegstanz.
Cicur zahm.
Circumagere (egi, actum) umher treiben.
Circumcidere (di, sum) rings herum beschneiden.
Circumnatare herum schwimmen.
Circumscribere umschreiben, limitibus, mit einer Gränze bezeichnen, beschränken, einschließen.
Circumsilire herumspringen.
Circumspectio das Herumschauen, die Vorsichtigkeit.
Circumspicere herum schauen, behuthsam seyn.
Circumvagari umher schwärmen.
Circumvehere rings herum führen; im Passivo herum fahren.
Clandestinus heimlich.
Cliens ein Client, Anempfohlner, Schutzverwandter.
Coacervare zusammenhäufen.
Coagulatum lac zusammengelaufne, geronnene Milch.
Coalescere (lui) zusammen wachsen.
Coaptare geschickt zusammen fügen.
Cocossa der Cocus Baum.
Coemere (emi, emptum) zusammen kaufen.
Coemeterium ein Kirchhof.
Coercere (cui, citum) einschränken, bändigen, zurück halten.
Cohaerere (haesi, haesum) zusammen hängen, enge verbunden seyn.
Cohibere hemmen, zurück halten, einschränken.
Cohorrescere (ui) erzittern.
Coire (eo, ivi, itum) zusammen gehn, sich vereinigen.
Colligare zusammen binden.
Collineare zielen.
Collocare setzen; spem in aliquo, seine Hoffnung auf jemand setzen.
Colluctari kämpfen mit jemand.
Collustrare erleuchten, besichtigen.

Comburere (ussi, ustum) verbrennen.
Comedere (di, sum) essen, verzehren.
Commemorare erwähnen, erzählen.
Commentarius Verzeichniß, Nachweisung.
Commigrare ziehen, wandern.
Commilito ein Mitstreiter, Gesellschafter.
Comminuere verringern, schwächen.
Committere (si, ssum,) zusammen schicken, proelium ein Treffen liefern; ponto se sich dem Meere anvertrauen; injuriam Unrecht begehen.
Commodare regelmäßig einrichten, alicui aliquid, einem etwas leihen.
Commodum eben, kaum.
Communicare gemeinschaftlich mit jemand etwas thun, Theil nehmen lassen, oder selbst Theil nehmen, vereinigen, cum aliquo aliquid, einem etwas mittheilen.
Commorari aufhalten, sich aufhalten, verweilen.
Comparare zusammen stellen, vergleichen, zubereiten, einrichten, erwerben. Rebus sic comparatis, bey so bewandten Umständen.
Compellere (puli, pulsum) zusammen treiben, antreiben, nöthigen.
Compensare ersetzen, ersparen.
Compertum aliquid habere etwas für ausgemacht halten.
Compingere (go, pegi, pactum) zusammenbinden, einpacken, daher compactus.
Complecti (xus sum) umfassen, mente cogitatione aliquid, sich etwas vorstellen, umarmen, liebgewinnen, amore aliquem, einen herzlich lieben.
Complicare zusammenfalten, zusammenlegen.
Componere se ad quietem, sich zur Ruhe begeben.
Compos otis, der einer Sache mächtig, theilhaftig ist; voti compos sum, ich erreiche meinen Wunsch.
Comprehendere (di, sum) ergreifen, zusammen

fassen, animo sich vorstellen, oculis bemerken, wahrnehmen.

Comprimere zusammen drücken, zurückhalten, hemmen.

Computare u. Computus überschlagen, überdenken, überrechnen; die Zusammenrechnung.

Conamen inis, das Unternehmen.

Concedere (cessi, cessum) aliquo wohin gehen, bewilligen, zugestehen.

Conceptus das Zusammenfassen, Fassen.

Conciliare zusammenbringen, verschaffen, erwerben.

Concipere (pio, cepi, ceptum) zusammenfassen, animo sich vorstellen, denken, empfangen, odium in aliquem Haß gegen jemand fassen.

Conclamare schreyen, zusammenschreyen, anrufen, conclamatum est, es ist vorbey.

Concrescere (crevi, cretum) zusammen wachsen, sich vereinigen.

Conculcare niedertreten, zertreten.

Condire (ivi, itum) würzen, schmackhaft machen.

Conducere nützlich seyn.

Confabulatio das Zusammensprechen.

Conferre zusammen tragen, verbinden, wohin wenden, se in fugam, sich auf die Flucht begeben, hoc multum confert ad aliquam rem, das trägt viel bey zu einer Sache, beneficium alicui u. in aliquem, einem eine Wohltat erweisen, anwenden.

Confidere (sus sum) vertrauen, sich verlassen, gewiß glauben.

Conflictari kämpfen.

Congerere zusammen tragen, zusammenhäufen; congeries ein Haufe.

Conglutinatus zusammengeleimt.

Congregare versammlen.

Conjectura die Muthmaßung, conjicere muthmaßen.

Connectere (xui, xum) zusammenknüpfen, verbinden.

Conniti omnibus viribus, sich mit allen Kräften bestreben.

Conscius bewußt.

Con-

Consecratus geheiligt, geweiht.

Consentaneus angemessen.

Conserere (erui, ertum) zusammenfügen; verba cum aliquo, Worte mit einem wechseln, sich unterreden; manum c. handgemein werden.

Consilia inire Plane machen; Entschlüsse fassen.

Consitus (von conserere) besäet, bepflanzt, bedeckt.

Consolari trösten.

Conspectus der Anblick; recedit e conspectu, entzieht sich dem Blick.

Conspirare zusammenblasen, sich vereinigen.

Conspiratio die Vereinigung.

Consuere (sui, sutum) zusammen nähen.

Consuescere (suevi, suetum) sich gewöhnen.

Consuetudinem ducere alicujus rei, etwas zur Gewohnheit annehmen.

Consulere (ui, ultum) alicui einem einen Rath geben, oder für einen sorgen; aliquem einen um Rath fragen.

Consumere (sumsi, sumptum) aufwenden, verzehren, hinbringen; vitam das Leben zubringen.

Consummatus vollendet.

Contegere (texi, tectum) bedecken.

Contentio die Anstrengung, Eifer, Streit.

Conterere (trivi, tritum) zerreiben, schwächen.

Conticescere (cui) schweigen.

Contignatio ein Stockwerk.

Contiguus nahe aneinander, sich berührend.

Continens terra das zusammenhangende feste Land.

Continuus ganz, zusammenhangend.

Continuatus hintereinander fort geführt.

Contorquere (si, tum) drehen, wälzen, schwingen.

Contrahere (xi, ctum) zusammen ziehen; cum aliquo familiaritatem, mit einem eine genaue Freundschaft errichten.

Contrectare berühren.

Contremiscere zittern, erzittern.

Convalescere (valui) sich erhohlen.

Convellere (velli, vulsum)

sum) losreissen, erschüttern.

Convenire aliquem mit einem sprechen; convenit, es schickt sich.

Convexus gewölbt; coeli convexa, der gewölbte Himmel.

Convincere(vici, victum) überführen, beweisen.

Cooriri (ortus sum) entstehen.

Copia Vorrath, Gelegenheit; copiam ejus non habeo, ich habe dazu nicht Gelegenheit.

Corbifex ein Korbmacher.

Corculum ein kleines Herz, c. meum, mein Liebchen.

Corona ein Kranz, eine Versammlung.

Corripere (pui, reptum) ergreifen, rauben, sich schnell in Bewegung setzen, abkürzen.

Corroborare starkmachen.

Corruère (rui, rutum) zusammen stürzen.

Cors tis, der Raum zwischen zwey Wänden, Hof.

Coruscare schimmern, leuchten.

Cos otis, der Schleifstein.

Crac der Ton eines brechenden oder fallenden Körpers.

Credere se alicui, sich einem anvertrauen.

Crepare (ui, itum) knarren, überhaupt viel Geräusch wodurch machen.

Crepusculum die Dämmerung.

Cribrum der Sieb, cribrare sieben.

Crimen capitale ein Verbrechen, das den Tod verdient.

Crumena ein Geldsack.

Crusta die Rinde, Schaale.

Cubile die Lagerstätte; nauticum die Kajüte.

Cucurbita ein Kürbiß.

Culcita eine Matraze.

Culpare beschuldigen, tadeln.

Cultus us, die Pflege, Bearbeitung, Bildung, Erziehung, äußerlicher Schmuck, Lebensart.

Cumulare häufen.

Cuneus subterraneus, ein unterirrdischer Gang.

Cupediae arum, ein Lekkerbissen.

Cupreus kupfern.

Curiosus sorgfältig, neugierig.

Curvare krümmen.

Cus-

Cuspis idis, die Spitze, der Spieß.

D.

Damnare verdammen; voto damnari, seines Wunsches gewährt werden.

Daemon ein Geist, besonders ein böser.

Decerpere (psi, ptum) abpflücken, wegnehmen.

Decipere (io, epi, eptum) hintergehen, betrügen.

Declivis e, abschüßig.

Decrescere (crevi, cretum) abnehmen.

Decutere (io, ussi, ussum) herabschlagen.

Deditio die Uebergabe, in oder ad d. compellere, zur Uebergabe zwingen.

Deesse fehlen, alicui einem seinen Beystand versagen.

Defatigare ermüden.

Deferre (tuli, latum) wegtragen, übergeben, querelam ad aliquem bey einem eine Klage anbringen, deferri aliquo (in locum aliquem) irgendwohin kommen.

Deficere abnehmen, fehlen.

Defixus oculus in aliquem, seu rem aliquam der auf jemand oder eine Sache stark geheftete Blick.

Defigere heften, mentem in aliquid, seine Aufmerksamkeit worauf fest richten.

Deflectere (xi, xum) weglenken, wohin beugen, verändern.

Degere (degi) zubringen, leben.

Deglabratus abgeschabt.

Deglutire verschlucken.

Dehiscere sich von einander lösen, aufthun; navis dehiscit, das Schiff wird leck.

Dejicere (jeci, jectum) herabwerfen, aves telo herabschießen.

Delegare absenden.

Delicatulus weichlich, zart.

Deliciae arum, das Vergnügen, kostbare Sachen; est mihi aliquid in deliciis, es macht mir etwas besonders Vergnügen.

Delineare abzeichnen.

Deliquium animi die Abwesenheit des Bewußtseyns, Ohnmacht.

Deludere (si, sum) verspotten.

Demandare auftragen.
Demetere (essui, essum) abmähen.
Demissus herabgelassen, demüthig.
Demulcere (ulsi, ulsum) streicheln.
Denegare versagen.
Deorsum herab.
Depellere (puli, pulsum) wegtreiben.
Deploratus beweint, deploranda conditio, ein bedauernswerther Zustand.
Depressus herabgedrückt.
Depromere (msi, mtum) hervorlangen, woher nehmen.
Depsere (psui, pstum) kneten.
Designare bezeichnen, bestimmen.
Desilire (ui u. ii, ultum) herabspringen.
Desperare keine Hoffnung haben; de salute sua, an seiner Rettung verzweifeln.
Destituere (ui, utum) verlassen.
Desuefacere (feci, factum) entwöhnen.
Detegere (texi, tectum) bedecken.
Detergere abwischen, abtrocknen.
Detestabilis verabscheuungswerth.
Detruncare abhauen.
Devastare verwüsten.
Dexteritas die Geschicklichkeit.
Dicto audiens gehorsam.
Dictum, factum, wie gesagt, so geschehen.
Differre (distuli, dilatum) verschieben, aufschieben, verschieden seyn.
Diffidentia das Mißtrauen.
Diffindere (fidi, fissum) spalten, theilen.
Diffiteri leugnen.
Diffundere (fudi, fusum) aus einander gießen, zerstreuen.
Digna perpeti leiden, was man verdient hat.
Dijudicare entscheiden.
Dilatare erweitern.
Diogenes ein griechischer Weltweiser.
Dirimere (emi, emtum) zerreißen, abbrechen; pugnam, das Gefecht abbrechen.
Diruere (rui, rutum) niederreißen.
Discedere auseinander gehen.
Discernere (crevi, cretum) unterscheiden.

Di-

Discerpere (psi, ptum) zerreißen.
Discrimen vitae et mortis, Lebensgefahr.
Discurrere (ri, sum) hin u. herlaufen.
Dispergere (si, sum) zerstreuen.
Disrumpere (rupi, ruptum) auseinander reißen: im Passivo bersten.
Dissecare (cui, ctum) von einander schneiden.
Dissipare zerstreuen.
Dissolvere (ssolvi, solutum) auflösen; dissolvi mollitie et otio durch Weichlichkeit und Müssiggang schwach, entnervt werden.
Distinctus deutlich, vox distincta.
Distributio die Austheilung.
Ditare bereichern.
Dium der freye Himmel, sub dio.
Divellere (velli, vulsum) von einander reißen, trennen.
Diverticulum (deverticulum richtiger) ein Abweg, die Herberge.
Divinare ahnden, prophezeyhen, divinando aliquid assequi, durch Rathen auf etwas kommen.
Documentum ein Beweiß.
Dormiturire schläfrig seyn.

E.

Ebullire (ivi, itum) aufwallen, Blasen werfen, herausstoßen.
Edicere (xi, ctum) heraus sagen, bekannt machen.
Effervescere (ui, u. bui) herauf brausen.
Efferre (extuli, elatum) erheben; efferri laetitia, sich übermäßig freuen; spe efferri, starke Hoffnung haben.
Efflare aushauchen, animam sterben.
Effodere (io, di, ssum) heraus graben.
Effringere, egi, actum) aufbrechen.
Effulgere (si) hervor schimmern.
Ejaculari herauswerfen.
Ejulatus das Wehklagen.
Elabi hinfallen, vergehn.
Elatus supra conditionem humanam, der über die menschliche Natur erhaben ist.
Elevare in die Höhe heben,

hen, vermindern, wegnehmen.

Eluceo (xi) hervorleuchten.

Eluere auswaschen, reinigen, vertilgen.

Eminere (ui) hervorragen.

Emollire (ivi, itum) erweichen.

Emolumentum der Nutzen, Vortheil.

Emplastrum ein Pflaster.

Enchiridion ein Handbuch.

Enixe eifrig, ernstlich.

Ensiformis schwerdtförmig.

Eo dahin, eousque miseriae venit, er ist so tief ins Elend gesunken.

Ephippium der Sattel.

Eradicare mit der Wurzel ausreißen.

Erigere (exi, ectum) aufrichten; in pedes erigi auf den Füßen aufgerichtet stehen.

Erubescere (bui) erröthen.

Erudire (ivi, itum) unterrichten.

Eruptio der Ausbruch.

Escendere (di, sum) herauf steigen.

Esurire (ivi, itum) hungern.

Euge wohl, schön.

Evadere weggehen; bonus evasit, er ist gut geworden.

Evanescere (ui) verschwinden.

Evellere (velli, vulsum) heraus reißen.

Eventus der Erfolg.

Evoe ein Ausruf der Freude.

Evolvere (vi, lutum) auseinander wickeln; librum ein Buch aufschlagen.

Evomere (ui, itum) herausspeyen, von sich geben.

Exaequare gleich kommen.

Exanimare entseelen, des Athems berauben.

Exantlare erschöpfen; labores seine Arbeit ertragen, vollenden.

Exardescere (si) entbrennen; desiderio alicujus rei brennen vor Verlangen nach einer Sache.

Exasciare aushauen, zimmern.

Excandescere (dui) heiß werden.

Excavare aushöhlen.

Excedere modum das Maaß überschreiten.

Excipere auffangen, auf einen folgen, antworten; aliquem liberali hospitio, einen sehr gut aufnehmen und bewirthen.
Excolere (ui, ultum) ausbilden.
Excoriare das Fell abziehen.
Excruciare quälen.
Exculcare austreten, eintreten.
Excursio eine Streiferey, der Ausfall.
Exemplum alicujus virtutis alicui praeire, einem mit einem guten Beyspiele in einer Tugend vorgehen.
Exhalare ausdünsten.
Exhaurire (si, stum) erschöpfen, ausleeren, labores Mühseligkeiten überstehen.
Exhilarare erfreuen.
Exhorrescere (ui) erschrecken.
Exilium die Verbannung.
Eximere (emi, emtum) wegnehmen, alicui dubitationem, oder auch aliquem dubitatione, einem einen Zweifel benehmen.
Exire (eo, ivi, itum) herausgehen; e sui potestate, das Bewußtseyn seiner selbst verlieren.
Exoptatus erwünscht.
Exorcista ein Geisterbanner, Exorcismus die Geisterbeschwörung.
Exornare zieren, ehren.
Exosculari küssen.
Expallescere (ui) bleich werden.
Expando (andi, ansum u. assum) ausbreiten.
Expedire (ivi, itum) loswickeln, befreyen, etwas Schweres zu Stande bringen; verbo aliquid mit einem Worte etwas endigen. Expedit aliquid, es ist etwas nützlich.
Expendere abwägen, Geld ausgeben, schätzen, diei rationes, von einem Tage Rechenschaft ablegen.
Expensae Ausgaben, Kosten.
Expergefacere aufwecken, expergefieri erwachen.
Experimentum alicujus rei capere, einen Versuch mit einer Sache machen.
Expers unerfahren, mangelnd, vocis et vitae, der

der sprachloß und todt ist; rationis unvernünftig.
piare aussöhnen.
xplodere (si, sum) ausklatschen, herausjagen, pisa, die Erbsen von der Hülse befreyen.
xprobrare einen Vorwurf machen.
xpugnabilis bezwingbar.
xsculpere (psi, ptum) durch Graben und Schnitzen etwas bilden.
xsequi (secutus sum) vollführen.
xsilio (ui, ultum) hervor springen.
xspirare aushauchen.
xstruere (xi, ctum) aufbauen, aufhäufen, reichlich versehen.
xsurgere (urrexi, urrectum) aufstehen, sich erheben.
xtensus ausgedehnt.
Exterritus erschreckt.
Extinctus ausgelöscht, von Extinguere.
Extorquere (si, tum) herauswinden, entreissen, foltern.
Extrinsecus von außen.
Extrudere (si, sum) her- ausstoßen.
Extumescere (ui) empor schwellen.
Extundere (tudi, tusum) herausstoßen.
Exultare (besser exsultare) in die Höhe springen vor Freude, frohlocken.
Exundare überschwemmen.
Exuere (ui, utum) ausziehen.
Exurere (ussi, ustum) brennen, verbrennen, plagen.

F.

Faber überhaupt ein Künstler; lignarius ein Zimmermann, aerarius et ferrarius ein Schmidt.
Facies das Gesicht, der Vordertheil; castell die Fronte der Festung.
Facilitas die Gefälligkeit, Sanftmuth.
Fallere tempus die Zeit täuschen, d. i. verkürzen; aestum solis somno f. die Hitze verschlafen; falli sich irren.
Fas was nach göttl. Gesetzen recht ist; überhaupt was recht und möglich ist.

Fasci-

Fasciculus ein Bündel.

Fascinus die Zauberey.

Fastidire (ivi, itum) einen Eckel gegen etwas haben; stolz verschmähen.

Ferramenta eiserne Werkzeuge oder Waaren.

Ferre, res ita fert, die Umstände erlauben, oder bringen es so mit sich; prae se ferre aliquid, äußerlich etwas merken lassen.

Ferrum limatum Eisenfeilspäne; officina ferraria, eine Schmiede, Werkstätte.

Fervere (vi, u. bui) heiß seyn, brausen.

Fibrosus faserig.

Fides die Treue; habere alicui einem trauen, in fidem et tutelam aliquem accipere, einen in seinen Schutz aufnehmen.

Fingere (nxi, ictum) bilden, darstellen, erdichten.

Flagrare brennen; cupiditate peregrinandi, eine starke Lust zum Reisen haben.

Flocci aliquid pendere, etwas nicht achten; (nicht eines Fäserchens werth halten.)

Florenus ein Florain, Gulden.

Floretum ein Blumenbeet.

Foedare verunstalten.

Foetere stinken.

Follis ein Blasebalg.

Formula doctrinae eine Lehrform.

Fovere (vi, tum) wärmen, pflegen.

Fragmen ein Bruchstück.

Frangere (fregi, fractum) brechen, schwächen, muthlos machen; otio frangi, durch Müßiggang schlaff u. weichlich werden, fractus animo, muthlos.

Frangibulum ein Brechinstrument, Breche.

Fraudare aliquem aliquâ re, einen um etwas betrügen; se victu sich selbst den Unterhalt entziehen.

Fretus der sich worauf verläßt.

Fricare (cui, catum, u. ctum) reiben, frontem eine freche Stirn haben, oder unverschämt seyn.

Frictio das Reiben.

Frixus gedörrt.
Frugi, homo frugi ein biederer Mann, frugalis coena, ein mäßiges Abendbrodt; ad meliorem frugem redire, sich bessern.
Frustrari spe, in seiner Hoffnung getäuscht werden.
Frustulum ein klein Stück.
Fundere (fudi, fusum) giessen, hervorbringen; preces bethen.
Fungi officio seine Pflicht thun, voto seines Wunsches gewährt werden.
Fungus ein Schwamm, Pilz, ein unnützer, dummer Mensch.
Fugere fliehen, fugit me aliquid, es ist mir etwas unbekannt.
Fumarium ein Rauchfang, Schornstein.
Funiculus ein kleines Seil, Faden; sulphuratus Schwefelfaden.
Furcifer ein Schelm.
Furfur Kleie.
Fuscina Gabel, Dreyzack.

G.

Gaudere (gavisus sum) aliqua re, sich worüber freuen, etwas haben.
Gemitus edere seufzen.
Genius der Schutzgeist, fraudare genium aliqua re, sich selbst etwas entziehen; genio indulgere aliquid, sich etwas zu gute thun.
Genuale ein Knieband.
Genuinus ächt.
Gestire (ivi, irum) seine Freude äußerlich lebhaft ausdrücken, begierig seyn.
Glans dis, die Eichel, Nuß, tormentaria eine Kugel des Geschützes.
Globuli plumbei, bleyerne Kugeln, seminiferi die saamentragenden Köpfe gewisser Gewächse.
Guaviter munter, thätig.
Gradum corripere, seinen Schritt verdoppeln.
Granarium ein Getreide Magazin.
Granula aurea Goldkörner.
Grassari gehen, herum schweifen.
Gratia Dank; referre gratias thätigen Dank abstatten.
Gratificari alicui, einem sich gefällig, dankbar bewei-

beweisen; so auch gratum facere alicui.

Gravedo inis, der Schnupfen; gravedinem ducere, den Schnupfen bekommen.

Gravitas die Ernsthaftigkeit, Wichtigkeit, Würde; gravitatis speciem simulare, sehr ernsthaft sich geberden; gravitatem adhibere, Ernst anwenden.

Gyrus der Kreiß, Cirkel.

H.

Habere – bene me habet, es bekömmt mir wohl.

Habitus das Aeußere, die Gestalt; habitu toto amentem refert, er ist seinem ganzen Aeussern nach einem Wahnsinnigen ähnlich.

Haematoxylon Campeschen Holz.

Haerere (si, sum) hangen, schweben, ungewiß seyn; aqua haeret, ich bin in Verlegenheit; vox faucibus haeret, die Sprache stockt: in amplexibus alicujus haerere in jemandes Armen hängen.

Haurire (si, sum) schöpfen; auribus aliquid etwas begierig hören.

Hebdomas adis, eine Woche.

Hiare offen stehen, den Mund aufsperren, begierig nach etwas trachten; ora exspectatione hiantia, der vor ungeduldiger Erwartung offenstehende Mund.

Hiatus die Oeffnung, Spalt.

Homagium praestare, Huldigung leisten.

Homicidium der Menschenmord.

Homuncio ein kleiner, junger, erbärmlicher Mensch.

Horologium die Uhr.

Horrescere erschrecken, schaudern.

Hospitium Gastfreundschaft, Bewirthung; hospitio excipere aliquem, einen bewirthen.

Humanitas die Menschlichkeit; das menschliche Gefühl; humanitate excultus, der durch sanfte Sitten gebildet, cultivirt ist.

Humaniter menschenfreundlich.

I.

Iactabundus prahlend.

Iactura der Verlust, die Niederlage.
Iaculari werfen, zielen.
Ictus der Hieb.
Ignavia die Trägheit.
Ignivomus feuerspeyend.
Ignoscere (gnovi, gnotum) verzeihen.
Ilia um, die Därme.
Ilignus aus Eichenholz.
Illaesus unverletzt.
Illico sogleich.
Illinere (levi, litum) bestreichen.
Illucescere (xi) hell werden.
Illustrare erleuchten.
Imbibere (bi, bitum) hineintrinken, einsaugen.
Imbuere befeuchten, eintauchen, worin unterrichten, einweihen. superstitione imbutus, der zum Aberglauben früh gewöhnt und davon voll ist.
Imminere (ui) empor ragen, nahe seyn.
Impatiens der etwas nicht vertragen kann, erträgt; frigoris impatiens.
Impedire (ivi, itum) verwickeln, verhindern, (quo minus.)
Impendere (di, sum) anwenden; darauf verwenden.
Impetrare erlangen; a me impetrare non possum, quin hoc faciam, ich kann nicht umhin, das zu thun.
Impingere (pegi, pactum) woran stoßen, werfen, einem etwas anhängen oder anthun, wohin treiben.
Implicitus morbo in eine Krankheit verwickelt.
Impos ohnmächtig; vocis animique impos, ohne Sprache und Fassung.
Impostor ein Betrüger.
Impressus gepreßt, gedruckt.
Improbus ruchlos; labor i. eine saure, mühsame Arbeit.
Improvisus unvorhergesehen.
Imputare anrechnen.
Inaurare vergolden.
Inchoare anfangen.
Inclinare neigen, beugen.
Incolumis unversehrt; sicher; incolumem deus praestet mentem, Gott erhalte den Verstand gesund.
Incrementum der Zuwachs.
Incruentus unblutig.
Indagare erforschen.

Indefessus unermüdet.
Index der Angeber, Anzeiger, der Zeigefinger.
Indigena einwohnend, einheimisch.
Indigere (ui) bedürfen.
Indignari unwillig werden.
Indoles die Art, natürliche Anlage; indolem alicujus rei contrahere die Natur einer Sache annehmen.
Indulgentia die Nachsicht.
Indulgere (dulsi, dultum) alicui aliquid, einem etwas nachsehen, erlauben.
Industria der emsige, thätige Fleiß.
Inedia der Mangel an Nahrungsmitteln.
Ineptulus ein kleiner Thor.
Inexploratus unerforscht.
Infestare beunruhigen.
Inficere hineinthun, färben, anstecken; aqua succo Theae infecta, Theewasser.
Infigere (xi, xum) aliquid animo dem Gemüthe etwas einprägen.
Infitiari längnen.
Infligere (xi, ctum) anschlagen, durch Schlagen einem etwas zufügen.
Infortunium das Unglück.
Ingemiscere (mui) seufzen.
Ingeniolum ein kleiner Geist.
Ingenuus frey gebohren, ächt, edel, aufrichtig.
Ingravescere schwer, groß werden, zunehmen.
Ingruere hineinbrechen, anfallen.
Inire (o, ivi, itum) hineingehen, anfangen; ab ineunte aetate von meiner ersten Jugend an.
Injuria frigoris die unangenehme Kälte.
Innotescere (ui) bekannt werden.
Inopia der Mangel, die Ohnmacht.
Inops opis, ohne Macht, unfähig; consilii verlegen, ohne Ueberlegung u. Plan.
Insanire (ivi, itum) unsinnig seyn.
Inscius unwissend.
Inserere (sevi, situm) einsäen, pflanzen; surculos, Reiser einpfropfen.

Inser-

Inservire (ivi, itum) dienen, ergeben seyn; gaudiis alicujus, einem Freude zu verschaffen suchen.

Insinuare etwas in einen Ort fügen, wo Krümmungen sind, se sich durchschmiegen, einschleichen; se in alicujus amorem, sich bey jemand durch allerhand Wendungen einschmeicheln.

Insipidus unschmackhaft, thöricht.

Insomnis ohne Schlaf.

Instaurare concionem, die Versammlung eröffnen.

Instillare hineintröpfeln.

Institor ein Mäkler, Handelsdiener.

Integer unverletzt, ganz, aufrichtig, unsträflich.

Intendere (di, sum) anspannen, anstrengen; oculorum aciem, die Augen scharf worauf heften.

Intentus alicui rei, ad aliquam re, aliqua re eifrig womit beschäftigt.

Intentatus unversucht.

Interest es ist daran gelegen; illius interest, mea interest, es ist sein, mein Vortheil.

Interjicere, (jeci, jectum) dazwischen werfen; mora interjecta nach einer Verzögerung.

Interimere (emi, emtum) umbringen.

Interlinere (evi, itum) dazwischen schmieren, beschmieren.

Intermissio die Unterlassung, Ruhe.

Interpres der Dollmetscher; animi grati i., der von einer dankbaren Gesinnung zeigt.

Interrumpere (rupi, ruptum) unterbrechen.

Intervallum der Zwischenraum.

Intexere (xui, xtum) hinein weben.

Intumescere (ui) aufschwellen.

Inundare überschwemmen.

Invicem wechselnd, gegenseitig.

Invisibilis unsichtbar.

Involvere (vi, lutum) einwickeln, einhüllen.

Irrepere (repsi, ptum) hineinkriechen, hereindringen.

Irridere (si, sum) verlachen, verspotten.

Irrigare wässern.

Irritus vergeblich.

Irruere (ui) hinein stürzen.
Iterare wiederhohlen.
Itinerarium ein Reisejournal.
Iuglans dis, eine welsche Nuß.
Iunceus von Binsen.

L.

Labefactare wankend machen.
Laborare morbo, krank seyn; vitio mit einem Fehler behaftet seyn.
Labrum die Lippe, ein Gefäß, die Wanne.
Lacessere (ivi itum) reizen, aufbringen.
Lacinia der Zipfel des Kleides, Lappen.
Laevigare glatt machen.
Laevus links, unklug, unglücklich.
Lagena die Flasche.
Languere (ui) matt seyn, otio im Müßiggange verschlafen.
Lanugo propullulans das hervorkeimende, junge Barthaar.
Lapicida ein Steinhauer.
Lapis calcarius ein Kalkstein.
Laquear die getäfelte Decke eines Zimmers, das Gewölbe.
Largitor ein Geber, Bestecher.
Larva die Larve, Maske.
Latibulum der Schlupfwinkel.
Lautae dapes ein wohlschmeckendes Mahl.
Legere sammlen, lesen; littus vel oram eine Küste oder Gegend vorbeigehen, passiren; alicujus vestigia jemandes Fußtritten nachfolgen.
Legumen die Hülsenfrucht.
Lepidus niedlich, artig, fein.
Letalis tödlich.
Levare leichter machen, befreien, in die Höhe heben.
Liber Bast, Rinde von einem Baum.
Liberalis institutio eine eines freigebohrnen Menschen würdige Erziehung.
Librare wägen, schwingen, abwägen.
Littoralis zum Ufer gehörig, jus littorale das Strandrecht.
Lixivium die Lauge.
Loculus ein Pläzchen, Fach, Kästchen.
Lolium das Unkraut.

Lubricus schlüpfrig.
Lucri aliquid facere etwas für Gewinn achten.
Ludibrio aliquem, seu aliquid habere, einen, oder etwas verspotten.
Luere (ui, utum) waschen, reinigen, büßen, bezahlen.

M.

Macte Bravo, Glück zu! macte virtute, ingenio!
Mactra die Mulde, der Trog.
Macerare einweichen, mürbe machen, plagen.
Machinari aliquid etwas künstlich aussinnen, erdenken.
Madefactus (madefio) befeuchtet.
Madere (ui) naß seyn.
Malus der Apfelbaum, citrea der Citronenbaum.
Malleolus ein kleiner Hammer, eine Lunte.
Maltha der Kleister.
Mancipium ein Sklave, Leibeigner.
Mandare befehlen, einem etwas auftragen, anvertrauen.
Manducere, kauen.
Mane früh; multo mane sehr früh.
Manere (si, sum) bleiben, erwarten; manet me aliquid, es steht mir etwas bevor.
Mangonium die Trödler Wirthschaft, der Sklavenhandel.
Mansuefacere (feci, factum) zahm, sanft machen.
Mantelium ein Handtuch.
Manubrium der Handgriff.
Mappa compendiaria eine kleine Landcharte.
Marcescere (cui) welk werden.
Marmota ein Murmelthier.
Mars der Kriegsgott; suo, proprio Marte (sprüchwörtlich) durch seine eigne Kräfte, ohne Hülfe.
Maturescere (maturui) reif werden.
Maximus natu der älteste.
Mederi heilen; inopiae mederi einem Mangel abhelfen.
Meditari worauf denken; ictum im Begriff seyn, einen Hieb zu thun.

Meditabundus betrach=tend.

Medius der mittlere, in medium prodire, öf=fentlich hervortreten.

Memorare erwähnen, er=zählen, memoratu dignus, bemerkungs=werth.

Memoriam alicujus pro-sequi das Andenken an jemand erhalten, werth achten.

Mens die Denkkraft der Seele, der Verstand; in mentem mihi ali-quid venit, es fällt mir etwas ein.

Menstruus monathlich.

Mentionem facere Er=wähnung thun.

Mereri bene de aliquo, sich um jemand ver=dient machen.

Meridies, a meridie Nach=mittags.

Meticulosus furchtsam.

Micare (ui) sich schnell hin und her bewegen; zittern, hervorsprin=gen, funkeln.

Milliare eine Meile.

Minimus der kleinste; natu der jüngste.

Ministrare bedienen, dar=reichen.

Minitari drohen.

Minium Mennig, Zinno=ber.

Miscere (cui, xtum) mi=schen, vermischen.

Miseret me alicujus, ich bedaure jemand.

Misereri (fertus sum) bedauern.

Missum aliquem, seu ali-quid facere, einen oder etwas entlassen, ausser Acht lassen.

Moderator ein Regierer, Lehrer.

Modus die Art u. Weise; Melodie eines Gesangs.

Mola alata eine geflügel=te Mühle, Windmühle.

Molere (ui, itum) mah=len.

Momentum Gewicht, Ausschlag, Wichtig=keit, Einfluß, Zeit=punkt, temporis ein Augenblick.

Mora der Verzug; mo-rae taedium die Lange=weile.

Morem gerere alicui ei=nem gehorchen, will=fahren.

Moribundus sterbend.

Morus papyrifera der Pa=pier Maulbeerbaum.

Mulgere (si, ctum) mel=ken.

Munitus bedeckt, gesichert.

Muria die Salzlake, oder Salzbrühe.
Murmurare murmeln.
Musquito eine Art von Fliege.
Mutuus gegeneinander, wechselseitig.

N.

Nancisci (nactus sum) erlangen.
Natalis zur Geburt gehörig; Geburt, Geburtstag.
Natus us, (kommt nur im Ablativo noch vor) grandis natu, groß an Alter, d. i. alt; maximus, minor, minimus natu, der älteste, jüngere u. jüngste.
Navare operam Fleiß worauf wenden.
Nectere (xui u. xi, xum) knüpfen, verbinden.
Negotium das Geschäft, die Mühe; nullo, facili negotio, ohne, u. mit leichter Mühe.
Nervus die Sehne, auch vom Bogen, Saite.
Netrix die Spinnerin.
Nicotiana herba Taback; ejus fumum trahere, Taback rauchen; ejus pulverem naribus ducere, Taback schnupfen.
Niti (nisus u. nixus sum) aliqua re, sich worauf stützen, lehnen.
Nomen dare alicui rei, sich einer Sache wiedmen; militiae Soldatendienste nehmen.
Norma ein Winkelmaaß, Lineal, Richtscheid.
Nota ein Merkmahl; turpitudinis notam sustinere öffentl. Schimpf davon tragen.
Nubecula eine kleine Wolke.
Nutrire (ivi, itum) ernähren.

O.

Obducere fimo agrum, einen Acker mit Mist düngen.
Obire (ii, itum) durchgehen, abreisen, zubringen; diem supremum den letzten Tag begehen, d. i. sterben.
Objicere (jeci, jectum) entgegen setzen, pectus forte alicui rei, mit festem Muthe einer Sache begegnen.
Objurgare tadeln, strafen, schelten.
Oblinere (levi, litum) bestreichen, beschmieren.
Oblivio die Vergessenheit; obliviorem anteacti

reacti diei ducere, den verfloßnen Tag vergessen.
Oblivisci (oblitus sum) vergessen.
Oblongus länglich.
Obmutescere (mutui) verstummen.
Obnoxius unterworfen, schuldig; terra hyemi non obnoxia, ein Land, wo kein Winter ist.
Obnubilare verhüllen, verdunkeln.
Oboriri (ortus sum) plötzlich entstehen.
Obruere (ui, utum) bedecken, überschütten, belasten.
Obscurare verdunkeln.
Obsequi (cutus sum) folgen, nachgeben; precibus alicujus, eines Bitte bewilligen.
Obsidio die Belagerung.
Obsitus besäet, bepflanzt, bedeckt, (obsero.)
Obstaculum ein Hinderniß.
Obstupescere (pui) erstaunen.
Obtemperare gehorchen.
Obtestari beschwören, zum Zeugen anrufen.
Obturare verstopfen, stillen.
Obtusus stumpf.
Obversari vorschweben.
Obviam ire alicui einem entgegen gehen.
Occare eggen.
Occidere (cidi, casum) fallen, untergehen; sol occidens die untergehende Sonne.
Occlusa vox die erstickte Stimme.
Occumbere (cubui, bitum) herabfallen, unterliegen; morti, fato, sterben.
Officium die Pflicht, Gefälligkeit; praestare einen Dienst erweisen.
Ominari ahnden, prophezeyen.
Omnipraesens allgegenwärtig.
Omniscius allwissend.
Onerare belasten.
Opem ferre Beystand leisten.
Opera die Mühe; operam dare litteris, sich dem Studieren wiedmen; operae metallicae, Bergleute, Arbeiter in den Bergwerken.
Operarius ein Handarbeiter, Handwerker.
Operiri (pertus sum) erwarten.
Opertus (operio) bedeckt.
Opitulari helfen, beystehen.

Opplere (evi, etum) erfüllen.

Opportunitas die Bequemlichkeit; exercendi commercii gute Gelegenheit zum Handel; opportune zur rechten Zeit, bequem.

Oppositus entgegen gesetzt.

Opprimere (pressi, pressum) unterdrücken; vocem singultibus im Schluchsen die Stimme ersticken; fame aut siti opprimi, von Hunger oder Durst gequält werden; aere alieno von Schulden gedrückt werden.

Orbatus beraubt.

Orbitas die Verweisung; der Verlust an nahen Verwandten; querelis orbitatem prosequi, um einen in der nahen Verwandtschaft erlittnen Verlust heftig klagen.

Ordiri (orsus sum) anfangen.

Oryza der Reiß.

Ostrea eine Auster, Schnecke; ostrearium eine Austerbank.

Ovicamelus ein Schaafcameel.

Oxygala Buttermilch.

P.

Pabo ein Schubkarren.

Pacisci (pactus sum) einen Vertrag machen; cum aliquo societatem itineris pacisci, sich mit einem zu einer gesellschaftl. Reise vereinigen.

Pallescere (llui) bleich werden.

Palma die flache Hand, Palme, Siegspreiß, Belohnung, der Zweig.

Palus ein Pfahl.

Paniferus Brodttragend, arbor panifera, der Brodtfruchtbaum.

Papae ey!

Par gleich, gewachsen; parem esse alicui rei, einer Sache gewachsen seyn; par est, es ist billig, schicklich; par viginti libris ferendis, der zwanzig Pfund tragen kann.

Paries etis, die Wand; uno eodemque pariete cum aliquo cingi, von einer u. ebenderselben Wand mit einem umgeben seyn,

d. i. zusammen wohnen.
Pascere (pavi, pastum) weiden, nähren, füttern.
Pax der Friede, die Erlaubniß.
Pellicea vestis ein Pelz.
Pendere e nutu alicujus, von eines Wink abhängen.
Peninsula die Halbinsel.
Peragere (egi, actum) vollführen, zu Stande bringen.
Peragrare durchreisen.
Percellere (culi, culsum) schlagen, treffen; horrore percelli von Schauder überfallen werden.
Percipere (cepi, ceptum) empfangen, genießen.
Percutere (ssi, ssum) treffen, schlagen; mons repercussus vocem reddebat, man hörte vom Berge her ein Echo; vox repercussa das Echo, admiratione percussus, von Staunen betroffen.
Perennis fortdauernd, beständig.
Pererrare durchirren, durchwandern,
Perforare durchlöchern.
Pergere (perrexi, perrectum) fortfahren, fortgehen, fortsetzen.
Periculum facere alicujus rei, eine Probe womit machen.
Perlustrare durchgehen, betrachten.
Pernatare durchschwimmen.
Pernicies das Verderben.
Pernoctare übernachten.
Perpendere (di, sum) abwägen, untersuchen.
Perpendiculum die Bleyschnur, Richtschnur; ad perpendiculum, senkrecht, grade herunter.
Perperam falsch.
Perpeti (ssus sum) dulden.
Perscrutatio die Erforschung, Durchsuchung.
Persequi meditando, im Nachdenken fortfahren, narrationem persequi, eine Erzählung fortsetzen.
Perseverare ausharren.
Persolvere (vi, lutum) bezahlen; gratias Dank bringen.
Persona die Maske, Rolle, der Stand; personam regis gerere, die Rolle eines Königs spielen.

Perspectum aliquid habere, etwas kennen, inne haben.
Persuadere (si, sum) überreden.
Perterrefacere erschrekken, (Schreck machen.)
Pertica eine Stange, Meßruthe.
Pervertere (ti, sum) umstoßen, zerstöhren; consilium einen Plan vereiteln.
Pervius wo man durchgehen kann.
Pharus der Leuchtthurm.
Phtisis die Schwindsucht; phtisi corripi, von der Schwindsucht befallen werden.
Pietas die Frömmigkeit, kindliche Liebe u. Dankbarkeit.
Piget (guit) es verdreußt.
Pignus Pfand, Zeichen; amoris ein Liebespfand.
Pinguedo die Fettigkeit.
Pirata ein Seeräuber.
Plantatiuncula eine kleine Pflanzung.
Plaudere (si, sum) manibus die Hände vor Freuden zusammen schlagen.
Poenas dare alicui rei, wofür Strafe leiden.
Poenitet (uit) me, es gereut mich.
Pollere vermögen, statt worin seyn.
Pomeridianus nachmittäglich.
Ponderatus abgewogen.
Pondo (indeclinabile) das Gewicht, Pfund.
Pondus eris, das Gewicht; magnum auri pondus, eine große Summe Goldes.
Pons versatilis die Zugbrücke.
Popularis ein Landsmann.
Porrigere (rexi, rectum) darreichen, ausdehnen.
Posterior der hintere, letztere.
Posthabere nachsetzen.
Potiri (titus sum) re, einer Sache sich bemächtigen, sie erhalten; spe eine Hoffnung erfüllt sehen.
Praeacutus vorn scharf; praeacuere vorn zuspitzen.
Praebere (ui, itum) darbieten, geben; aurem Gehör geben.
Praecipitium der Abhang eines Felsens.
Praedicere (xi, ctum) vorhersagen.
Praefectus der Vorsteher;

praefectus navis, der Schiffscapitain.
Praeire alicui vocem, einem ein Wort vorsagen; exemplum einem mit einem Beyspiele vorgehen.
Praematurus frühzeitig; praematura consilia unreife Entwürfe.
Praeparatrix die etwas zubereitet.
Praeruptus jähe, steil.
Praescire (ivi, itum) vorher wissen.
Praesciscere (scivi, scitum) vorher erfahren, wissen.
Praescribere (psi, ptum) vorschreiben.
Praesentia die Gegenwart.
Praesidia vitae die Mittel zur Beschützung und Nothdurft des Lebens.
Praestigiae arum, eine Gaukeley, Zauberey.
Praestigiator ein Zauberer.
Praetervehi aliquam oram vor einer Küste vorbey segeln.
Praetexere (xui, xtum) vorweben, voransetzen, verbrämen, vorwenden.
Praevertere (ti, sum) vorziehen, vorlaufen.
Praevius vorausgehend.
Primarius der erste; navis primaria, das Hauptschiff.
Primitiae die Erstlinge.
Primordium der Anfang.
Privare berauben.
Proambulare hinwandeln.
Probare beweisen, bestätigen, billigen.
Probabilis scheinbar, wovon sich eine gültige Ursache angeben läßt.
Procidere (di) hinfallen.
Proclivis sich neigend, geneigt.
Procrastinare verschieben, verlängern.
Procurrere (rui, sum) hinlaufen.
Prodere (didi, ditum) übergeben, verrathen.
Producere (xi, ctum) fortführen, verlängern.
Proferre (tuli, latum) hervorbringen; in medium öffentlich vorbringen.
Proficere nützen, Nutzen ziehen.
Profiteri (fessus sum) etwas öffentlich sagen, bekennen; gratam mentem seine dankbare Gesinnung

sinnung zu erkennen geben.
Profundere (fudi, fum) vergießen, hinströhmen.
Progerminare hervor sprossen, empor keimen.
Prohibere (ui, itum) verhindern, quo minus.
Projectus hingeworfen.
Promanare hervorfließen.
Prominere (ui) hervorragen, sich erstrecken.
Promovere (vi, motum) fortbewegen, befördern, vermehren.
Promptus fertig, bereit; aliquid in promtu est, es ist etwas im Vorrathe, leicht zu haben.
Pronatare hervorschwimmen.
Propagare fortpflanzen.
Propellere (puli, pulsum) forttreiben.
Propugnare vertheidigen im Streite.
Propugnaculum ein Bollwerk, Vormauer, Schutzwehr.
Prorepere (psi, ptum) fortkriechen.
Prorumpere (rupi, ruptum) durchbrechen.
Prosequi (secutus sum) verfolgen; alicujus memoriam jemandes Andenken feierlich ehren.
Prosilire (ui, ii) hervorspringen.
Prospicere alicui aliquid, für einen etwas besorgen.
Prosternere (stravi, stratum) niederschlagen, zu Boden werfen; in genua se sich auf die Knie werfen.
Protendere (di, sum) vorwärts strecken, erweitern.
Protundere (tudi, tusum) zerstoßen, zermalmen, zu Boden schlagen.
Proturbare forttreiben, wegjagen.
Provectus aetate alt; provehi senectute, ein hohes Alter erreichen.
Proventus das Einkommen.
Provolvere (vi, lutum) fortwälzen.
Psilothrum die Treibfarbe der Gerber.
Psittacus der Papagey.
Pulvinus eine Sandbank.
Pulvis tormentarius das Kanonenpulver, nitratus Schießpulver.
Punctum ein Stich, Punkt, temporis ein Augenblick.
Pungere (pupugi, nctum) stechen,

stechen, empfindlich berühren.
Pupa eine Puppe.
Putamen die Schaale.
Puteus metallicus ein Schacht in den Bergwerken.
Putrefacere zur Fäulniß bringen; putrefieri faulen, wie auch putrescere.
Putris e, faul.
Pyrotheca ein Feuerzeug.
Pyxis nautica ein See-Compaß.

Q.

Quadriennium eine Zeit von vier Jahren.
Qualiscunque qualecunque, wer u. wie er oder es auch sey.
Quantumvis soviel es auch seyn mag.
Quassare schütteln.
Quippe nehmlich, freylich.
Quisquiliae der Auskehricht.

R.

Radere (di, sum) abschaben, abkratzen, streifen, berühren.
Radius der Strahl.
Radix saxi der Fuß eines Felsen.
Radula eine Raspel.
Ramentum ein Stückchen, das durch Schaben, Kratzen, Hauen u. auf eine ähnliche Art abgeht.
Ratiocinium der Schluß, Beweis.
Ratione praeditus mit Vernunft begabt.
Rationem alicujus rei habere, worauf Rücksicht nehmen, perspicere den Grund wovon ansehen.
Ratis ein Flößholz, Fahrzeug.
Rebellis ein Empöhrer.
Recens frisch, neu.
Receptaculum ein Behältniß.
Recipere (cepi, ceptum) aufnehmen; foramen vix manui recipiendae sufficit, das Loch ist kaum eine Hand weit; animum recipere, Muth wieder bekommen.
Recitare hersagen.
Recludere (si, sum) aufschließen, öffnen.
Recondere (didi, ditum) verbergen, aufheben.
Recreare erquicken.
Recubare (ui, itum) sich niederlegen, liegen.
Recumbere (cubui, cubitum) sich niederlegen.

Recu-

Recuperare wieder erlangen.
Recusare ablehnen, verweigern.
Redigere, (egi, actum) wohin bringen, treiben; ad summam miseriam redactus, ins tiefste Elend gebracht.
Redimere (emi, emtum) loßkaufen.
Redimire (ivi, itum) umwinden, umgeben.
Redundare überströhmen, voll seyn; redundat ad me utilitas, es fließt mir Nutzen zu.
Redux ucis, ein Zurückkehrender.
Referre (tuli, latum) wiederbringen, erzählen; refert, es ist daran gelegen; pedem referre, zurück gehen; refert gravitatem et dignitatem, er hat ein sehr ernsthaftes u. ehrwürdiges Ansehn; acceptum alicui aliquid, einem etwas verdanken; instar alicujus, einem ähnlich seyn.
Refertus voll gefüllt.
Reficere wieder herstellen, neu machen, erquicken.
Refocillare erwärmen, erquicken.
Refrigerare erkälten:
Refrigescere (frixi) kalt werden.
Refugium die Zuflucht.
Rejicere (jeci, jectum) zurückwerfen, verstoßen, widerlegen.
Relabi (lapsus sum) zurück fallen, in memoriam alicujus woran sich wieder erinnern.
Relegare verbannen, verweisen.
Religiose gewissenhaft, feyerlich.
Remigare rudern.
Removere (vi, tum) entfernen, wegräumen.
Repellere (puli, pulsum) zurücktreiben.
Repercutere (io, cussi cussum) zurück werfen.
Repetere (ii, itum) oram maris wieder nach der Küste eilen, animo, memoria aliquid an etwas zurück denken.
Replere (evi, etum) erfüllen, anfüllen.
Reprobare verwerfen, mißbilligen.
Repugnare widerstreiten.
Repuerascere wieder Knabe werden.

Repulsa eine abschlägliche Antwort, Zurückweisung; repulsae impatiens, der diese nicht ertragen kann; ferre sie bekommen.

Resciscere (scivi, scitum) wieder erfahren.

Resectus (resecare) beschnitten, verkürzt.

Residere (sedi, sessum) sitzen, zurückbleiben.

Residuus rückständig, übrig bleibend.

Resilire (ui, ultum) zurück springen, abstehn, ablassen.

Resipiscere (sipui) den Geschmack wieder bekommen, sich erhohlen, sich bessern.

Respirare zurück athmen, athmen, duften, nachlassen.

Respondere (di, sum) antworten, übereinstimmen; hoc palato meo non respondet, das behagt meinem Gaumen nicht.

Restaurator der Wiederhersteller.

Restiarius ein Seiler.

Restinguere (nxi, nctum) löschen, austilgen.

Reticulum ein kleines Netz, Filet.

Revisere (si, sum) wieder sehn, wieder besuchen.

Revivere (xi, ctum) wieder leben, wieder aufleben.

Revolare zurück fliegen.

Rigere (ui) starren, steif seyn.

Rigidus starr.

Rodere (si, sum) nagen, benagen.

Ros roris, der Thau, das Wasser.

Rotarius ein Rademacher.

Rubere (ui) roth seyn.

Rubescere (ui) roth werden.

Rudus eris, Schutt.

Ruinam ducere einstürzen.

Runcina der Hobel.

Rutrum eine Schaufel.

S.

Sabulum Sand.

Salsugo die Salzigkeit.

Salutatione aliquem excipere einen bewillkommen.

Salutem alicui dicere einem Gutes wünschen, einen grüßen.

Sancire (xi, nctum) festsetzen, bestätigen.

Sapere (pi, pui u. pivi) schmecken, Geschmack haben, verstehen, weise seyn.
Sarcina das Bündel, die Bagage; sarcinas colligere, seine Sachen zusammen packen.
Satiare sättigen.
Satisfacere genug thun.
Sarmentum ein Reiß.
Scala funiculorum spartea eine Strickleiter.
Scalprum ein Steinmeißel.
Scapha u. scaphula, ein kleines Fahrzeug, Boot.
Scatere (ui) hervorquellen, sprudeln, voll seyn.
Scintillare funkeln, blitzen.
Sciscitari erforschen.
Sclopetum eine Flinte, Windbüchse; complere sie laden.
Scobs bis, Feilspäne, Sägspäne.
Scopula eine Bürste.
Scabrum das Stabeisen.
Scriniarius ein Tischler.
Scrutari erforschen.
Secedere (cessi, cessum) weichen, entweichen, wohin gehen.
Sectio die Zerschneidung, Theilung.
Secundus der zweyte, nachfolgend, günstig; ventus ein glücklicher Wind; res secundae glückliche Umstände.
Sedare stillen, befriedigen.
Sedulitas die Geschäftigkeit, der Eifer.
Segmentum Schnitt, Abschnitt, Theilung.
Sejungere (nxi, nctum) trennen.
Semestre eine Zeit von sechs Monaten.
Semilacerus halb zerrissen.
Seminifer saamentragend.
Semirosus halb zernagt.
Senarius aus sechsen bestehend.
Sententia, ex sententia cessit, es ist nach Wunsch gegangen.
Sepes viva ein lebendiger, grüner Zaun.
Sepire (psi, ptum) umzäunen.
Seponere (sui, situm) bey Seit setzen, ablegen.
Septentrio Nord; ora septentrionalis, die mitternächtliche Küste.
Septimana die Woche.
Serenitas die Heiterkeit, der heitre Himmel.
Servare erhalten.
Siccare trocknen.
Silex ein Kieselstein.

Singultare schluchzen.
Sinister links, unglücklich.
Sistere gressum still stehen.
Sodalis der Genosse, Camerad.
Solari damnum einen Verlust ersetzen.
Solidus ganz, solidum aurum, gediegen Gold.
Sollers fleißig, sorgfältig.
Sollicitus bekümmert; sollicitum me tenet res, die Sache bekümmert mich.
Sollicitare reizen, aufwiegeln, bekümmert machen.
Solvere (vi, lutum) promisso vom Versprechen frey machen.
Sopitus im Schlafe versunken.
Sorbere (bui u. psi, ptum) verschlucken; hinein fressen, schlürfen, verschlingen.
Sors das Looß, Schicksal, sortem jacere, das Looß werfen; forte laeta frui, glücklich seyn.
Spatha ein Spathe.
Spatium der Raum, die Zeit, Gelegenheit.
Spectatus gesehen, erprobt, bewährt.
Speculari genau beobachten, kundschaften.
Spernere (sprevi, spretum) verachten.
Spirare athmen, duften.
Spiritus der Hauch, Athem; spiritum ducere athmen.
Spondere (spospondi, sponsum) zuverlässig versprechen, geloben.
Sponsorem agere pro aliquo Bürgschaft für jemand leisten.
Sponte von freyen Stükken.
Spumare schäumen.
Stamen der Grundfaden beym Weben, Werfte.
Stanneus aus Zinn.
Statuarius ein Bildhauer.
Statuere (tui, tutum) beschließen, festsetzen.
Stega das Verdeck des Schiffs.
Sternere (stravi, stratum) hinstreuen, hinwerfen, zu Boden strecken, bedecken, ebnen.
Strategema eine Kriegslist.
Strepere (ui, itum) ein Geräusch machen.
Striatum linteum gestreifte Leinewand.
Stringere (nxi, ictum) strei-

streifen, berühren, verwunden, zusammen ziehen.
Stupa u. Stuppa, Werk, d. i. ungearbeiteter Flachs.
Stupendus schrecklich, erstaunenswerth.
Subducere (xi, ctum) entziehen.
Subesse verborgen seyn.
Subditus ein Untergebner.
Subigere (egi, actum) zwingen; pelles Felle gerben.
Subindignari heimlich unwillig seyn.
Subjicere (jeci, jectum) unterwerfen, hinwerfen, darstellen; oculis aliquid subjicitur, es stellt sich den Augen etwas dar.
Subire calamitates, pericula, Gefahren ausstehen; animum, mentem aliquid subit, es kömmt mir etwas in den Sinn, ich denke woran.
Sublevare erleichtern, unterstützen, in die Höhe heben, wegnehmen.
Subligare anbinden, aufschürzen.
Submergere (si, sum) untertauchen, versenken.
Submissus herabgelassen, demüthig, submissa vox die leise Stimme.
Subridere (si, sum) lächeln.
Subsistere (stiti) stehend machen, hemmen, still stehen, bestehen, gelten.
Subtemen der Eintrag beym Gewebe.
Subtimidus etwas schüchtern.
Subtrahere (xi, ctum) entziehen.
Succedere (cessi, cessum) folgen, fortgehen, glücklich gehen.
Succrescere (evi, etum) in die Höhe wachsen.
Succurrere (ri, sum) zu Hülfe eilen.
Successus der Fortgang; felici successu uti, glücklichen Erfolg haben.
Succulentus saftig.
Sufficere hinlänglich seyn; sonst hinzuthun, an die Stelle des andern setzen.
Suffocare ersticken.
Suffulcire (si, tum) unterstützen.
Sugere (xi, ctum) saugen.
Summa alicujus rei, das-

jenige, worauf es bey einer Sache vorzüglich ankommt, die Hauptsache.

Superaddere (didi, ditum) hinzufügen.

Superare übertreffen, besiegen; montem, flumen, über einen Berg, Fluß gehen.

Superbire stolz, übermüthig seyn, Pracht haben.

Superesse übrig seyn.

Superficies die Oberfläche.

Superfluus überflüßig.

Supersedere alicui rei u. aliqua re, sich eine Sache erspahren, derselben überhoben seyn.

Superstes itis, der übrig bleibt, der einen überlebt.

Supervacaneus überflüssig.

Suppeditare darreichen, angeben.

Suppellex der Hausrath, eben so suppellectilis.

Suppositus untergelegt, an die Stelle gesetzt, untergeschoben.

Supputare beschneiden, ausrechnen.

Surculus der Reiß, Zweig.

Sursum in die Höhe, tendere aufwärts streben.

Suspendere (di, sum) aufhängen, schwebend machen, stützen, unentschieden u. zweifelhaft etwas machen.

Suspicere (exi, ectum) in die Höhe sehen, hochschätzen, Verdacht haben.

Suspicionem injicere alicui, einem Verdacht einflößen.

Suspirare seufzen; suspiria extrema ducere, den letzten Seufzer thun.

Sustentare stützen, unterhalten.

Sustinere (ui, tentum) aufhalten, hemmen, unterstützen, erhalten, ertragen, wagen.

Susurrus das Geflüster.

Symbolum das Pfand, Merkzeichen, ein Wahlspruch.

Symbola ein Beytrag.

Syrtes die Sandbänke.

T.

Tabula ein Bret, nautica die Seecharte, charta obducta eine mit Papier überklebte Tafel.

Tabulatum der Boden, die Dielen.

Taedere (ui, sum) einen Ekel haben.

Taenia

Taenia ein Band, eine Binde.
Tantillum so klein, so wenig.
Tantum non beynah.
Tegula ein Ziegel.
Telescopium ein Fernrohr.
Temerarius unüberlegt, übereilt; temerarium consilium ein aufs Ungewisse gefaßter Entschluß.
Temere umsonst, vergeblich, nachlässig, gedankenloß, aufs gerathewohl.
Temeritas die Verwegenheit, Unbesonnenheit.
Temperantia die Mäßigkeit.
Temperare mäßigen, zurückhalten, sich einer Sache enthalten, regieren.
Tempore (pro) für itzt.
Tenax fest anhaltend, klebend; propositi fest in seinem Vorsatz.
Tentare versuchen, reizen; cupiditatibus tentari, von Begierden gereizt werden.
Tendicula eine Schlinge.
Tendere (tetendi, tensum) spannen, anstrengen; vela die Segel aufspannen; in altum tendere in die See hinein fahren, aliquo irgend wohin seinen Lauf richten.
Tener zart; a teneris annis von Kindheit an; a teneris unguiculis von den zarten Nägeln der Kindheit an.
Tenere halten; aliquo errore teneri, desiderio, in einem Irrthum stecken; ein Verlangen wonach empfinden.
Terebra der Bohrer.
Tergiversari den Rücken kehren, ungern an etwas gehen, sich weigern.
Testari bezeugen.
Testificatio das Zeugniß, der Beweis.
Theca scriptoria ein Schreibezeug.
Tigillum ein kleiner Balke.
Tinctura das Färben.
Tingere (nxi, nctum) eintauchen, färben, benetzen.
Titubare wanken.
Torculor die Kelter.
Tormentum bellicum das Kriegsgeschütz, eine Kanone;

none; tormentarius funiculus, ein Lunten.
Torrefacere dörren, trocknen.
Torrens ein reißender Waldstrohm.
Tractus der Zug, die Reihe, das Gebieth, die Gegend.
Trama der Einschlag beym Weben.
Transfodere (di, ssum) durchgraben, durchbohren.
Transformare umbilden.
Transgredi (ssus sum) überschreiten.
Transmittere wegschikken, wohin.
Transplantatio die Verpflanzung.
Transversus in die Queer; meatus ein Queergang.
Trepidare zittern, eilen.
Triangularis dreywinklicht, dreyeckigt.
Tribulis ein Zunftgenosse.
Tribulum der Dreschflegel.
Tristitiam prae se ferre, das Ansehen eines Traurenden haben.
Trochlea die Winde.
Trochus ein Kreisel.
Tropicus ein Wendekreiß.
Trucidare niederhauen.
Trulla eine Mauerkelle.
Tuber ris, ein Erdschwamm, Knolle, Erdapfel; tubera solanorum Kartoffeln.
Tubus opticus ein Fernrohr.
Tudicula ein Klöpfel.
Tugurium eine Hütte.
Tumultus der Aufruhr; tumultu ferri aufrührerisch, in Bewegung seyn.
Tundere (tutudi, tusum) schlagen, stoßen.
Turbo inis, der Wirbelwind.
Typus ein Abriß, Bild, Schriftzeichen; typis exarare librum (exprimere) ein Buch drukken.

U.

Ulcisci (ultus sum) rächen, bestrafen.
Ulna eine Elle.
Umbella Schatten, Schattendach, Sonnenschirm, texere ihn flechten.
Undiquaque von allen Seiten.
Unguiculus, der Nagel.
Urere (ussi, ustum) brennen, quälen.
Urgere (si, sum) stoßen, treiben; blanditiis aliquem einem mit Schmeicheleyen zusetzen.

Urtica

Urtica die Nessel; telae genus ex urticis cannabinis confectum Nesseltuch.
Uti fortuna mediocri, ein mittelmäßiges Glück haben; aliqua re etwas haben, besitzen, genießen.
Utrinque von beyden Seiten.
Uva passa eine getrocknete Weintraube, Rosine.

V.

Vacare Zeit haben.
Vacillare wanken.
Vadosus seicht, untief.
Valedicere (xi, ctum) Lebewohl sagen, Abschied nehmen, alicui.
Vanilia Vanille, ein Gewürz.
Vectis coriarius ein Schabebaum der Gerber.
Vectura das Tragen, Fahren, die Fuhre, Fracht.
Vegetus frisch, blühend, kraftvoll.
Vehere (xi, ctum) führen, ziehen; navi vehi schiffen, curru fahren, equo reiten.
Vela ventis dare die Segel dem Winde überlassen, absegeln, facere ex aliquo loco, von einem Orte absegeln.
Venia die Freyheit, Erlaubniß, impetrare Erlaubniß erhalten.
Venit aliquid pretio es wird etwas für einen gewissen Werth verkauft.
Venit aliquid usu es ist etwas gewöhnlich, trägt sich zu.
Venundare (dedi, datum) verkaufen.
Vernacula lingua die Muttersprache.
Versari in aliquo loco, sich wo aufhalten, in aliqua re mit einer Sache beschäftigt seyn.
Versicolor bunt.
Versare drehen, herumwälzen; rem animo eine Sache reiflich überlegen, in omnes partes aliquid von allen Seiten etwas betrachten.
Vertere (ti, sum) wenden; res in eo vertitur, die Sache kommt darauf an.
Vertigo der Schwindel.
Vexare beunruhigen, quälen.
Vexillum nauticum explicare die Flagge aufstecken.
Vibrare schwenken.
Vices der Wechsel, das Schicksal; una vice einmal;

einmal; vicibus alternis wechselsweise, vice versa umgekehrt; vicem alicujus subire, sich in jemandes Stelle setzen, praestare jemandes Stelle übernehmen, dolere jemandes Schicksal bedauern.
Vicissitudo die Abwechselung.
Victus us, der Unterhalt, die Speise; victui esse zum Unterhalt dienen.
Vigiliae die Wachen, agere, Wache halten.
Villosus zottigt; canis ein Pudel.
Vimen ein schwankes Reiß, Gerte, Ruthe, salignum eine Weidenruthe.
Vincire (nxi, nctum) binden.
Vindicare rächen, strafen, sich anmaßen, behaupten, in libertatem in Freyheit setzen.
Virere (ui) grünen.
Virescere grün werden.
Virgultum ein Gebüsch, Gesträuch.
Virilis männlich; pro virili parte, nach allen Kräften.
Vitium der Fehler; in vitio aliquid est, es ist etwas fehlerhaft.
Vitrescere in Glas verwandelt werden, verglasen.
Vitrum das Glas; vitro incrustatus, mit einer Glasrinde überzogen, glasirt.
Vociferari laut rufen, schreyen.
Vorax gefräßig.

X.

Xenodocheum (griechisch) ein Wirthshaus.

Z.

Zea Mais, türkischer Weizen.

Zu Anfange der sten Vorrede Z. 8. von oben l. proprio Marte.

P4
55

